CL. VIRI
AUGUSTI BUCHNERI
EPISTO-
LARUM
PARS II.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Cum Privilegio El. Sax.

DRESDÆ,
Sumptibus MARTINI GABRIELIS
HüBNERI,
Typis JOH. CONRADI RÜGERI.
M DC XCVII

Digitized by Google

Per-Illuſtri atque Generoſo Domino,

DOMINO

GOTTHELF FRIDERICO

à Schönberg/

Dynaſtæ in Super. & infer. Bieberberſtein, Triſtevviz, & Leubniz, &c.

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Saxoniæ Conſiliario intimiori, Judicii Appellationum Præſidi, Comiti, & rei Cenſuariæ Præfecto Primario &c.

Domino meo Gratioſo.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Nec non

Illuſtri atqve Generoſo Domino,

DOMINO

JOHANNI CASPARI

à Schönberg/

Dynaſtæ in Limbach, Kühna, Thieliz & Wendiſchoſſig &c.

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Saxoniæ, ut & Sereniſſimæ Principis Electoralis Comiti digniſſimo fidiſſimoqve, &c.

Domino meo & Patrono optimo maximo.

Ut

Digitized by Google

Ut &
Illuſtri atque Generoſo Domino,
DOMINO
JOHANNI
HEINRICO
à Schönberg/
Dynaſtæ in Superiori & Inferiori
Maxen &c.

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Saxoniæ Comiti, Conſiliario Aulico, ut & Inſpectori Illuſtris ad Albim Scholæ graviſſimo &c.

Domino meo honoratiſſimo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Item

Generoſo atque Nobiliſſimo Domino,

DOMINO

HEINRICO FRIDERICO

à Schönberg/

Dynaſtæ in Superiori & Inferiori Reinsberg &c.

Patrono & Promotori meo omni honoris cultu ſuſpiciendo

Salutem & obſervantiam.

Google

QVanti gentem veſtram Nobiliſſimam Buchnerus fecerit, vel exinde cognoſci poteſt, qvod propinqvá vobis cognatione conjunctorum mentionem ſæpius facit, haud alia de cauſa, qvam qvod avitam illam & ad vos usqve perpetuá ſerie propagatam dignitatem ſartam tectam ſemper conſervaſtis. Siqvidem gens veſtra inter prima Nobilitatis genera eminet, ita qvantum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Inter ſtellas luna minores.

Non Saxonia tantùm noſtra, ſed totus propemodum orbis Schönbergios novit. Qvis adeò in hiſto-

ria & publicis rerum geſtarum documentis peregrinus eſt, qvem fugiat, qvod Mareſchallos (qvos vocant) Franciæ dediſtis? Qvis, qvi ignoret, qvod à multis ſeculis majores veſtri in his provinciis proximas ſemper à principe tenuerint partes? Ipſi, Patroni Maximi, exemplo veſtro teſtatum itis, qvâ gratiá apud Principes noſtros Sereniſſimos, qvaqve nominis gloriâ hodienum valeatis. Qvod ſi penitus paulo in rationes harum rerum inqvirendum eſſet, dicerem, non aliunde hoc provenire, qvam qvod Muſas ſingulari cultu proſeqvamini, & hæ contrà vos qvoqve diligant maximopere ac venerentur.

Lætitia impedit lingvam, ne eo, qvo par eſt modo, laudem veſtram decantare poſſint. Gratulantur interim ſibi, qvod tantos Patronos nactæ, qvi non ſolum ipſi literas earumqve amatores penſi habent; ſed qvibus inſuper curæ eſt, ut indies magis magisqve acceſſione aliorum numerus augeatur. Qvot impenſas qvotannis in ſtudia faciatis, res ipſa loqvitur, & ii norunt, qvi veſtro auxilio in Muſarum gratiam recepti auguſta ſplendidaqve Sapientiæ templa jam ingreſſi ſunt, aut adhuc eò moliuntur iter. Qvis tantos Mecœnates non æſtimet maximi, & immortali vehat laude? ipſe égo, qvantuluſcunqve etiam, veſtra hæc merita, pietate,

qva poſſum, & licet, colere hoc ipſo auſus ſum, qvod Buchneri Epiſtolarum partem II. qvæ nunc prodit in lucem, nominibus veſtris illuſtribus inſcribere ſuſtinui. Vile qvidem in ſpeciem munus meritis veſtris collatum; ſed mola ego falſa litabo, cum deſint thura. Sic aviculas ajunt, cum nihil poſſent magnificentius, plumas duntaxat ad celebre Delphici Apollinis templum, ſicut & apes ceras attuliſſe. Juverit & me qvoqve, Patroni, ad illuſtre famæ veſtræ templum, qvod eruditus dudum vobis exſtruxit orbis, chartaceum hocce munus

attu-

attuliſſe. Qvod ſi benevolè à vobis receptum erit, nihil accidere mihi divinius poteſt. Valete. Dabam Dreſd. d. XXVIII. April. CIↃ IↃC. LXXX.

Veſtr. Illuſtr. & Gener

Nomin. & Virtut.

Obſervantiſſimus

Cliens

M. J. C. G.

Google

Googl

Lectori Benevolo!

Cum Auguſti Buchneri Epiſtolæ, qvæ jam ante duos annos in lucem prodiere, tantos amatores nactæ ſint, fecerunt, ut non ſolum de iteranda editione cogitaret Bibliopola, ſed inſuper omni ſtudio eò contenderet, qvò & altera pars, ſicut promiſerat, maturè primam ſeqveretur. Dici non poteſt, qvam faciles Clariſſimi qvidam Viri in transmittendis Buchneri Epiſtolis fuerint, qvas ſanctè hactenus intra ſcrinia conſervarant. Has abſcondere iterum, & intra parietes privatos abdere religionem omnino duximus, qvamvis nec defuére, qvi carpere inſtitutum iſtud de jam editis non ſunt veriti. Jure an injuria cordato Lectori relinqvimus. Nobis ſufficiat majorem eorum numerum, adde & doctiorem melioremqve eſſe, qvi laudare qvam vituperare maluerunt. Qvod ſi ſtudium hoc noſtrum probaveris, facies, Lector Benevole, ut & alii, qvi in colligendis Poëmatis operam ſtrenuè ponunt, alacriores reddantur. Interim rogatum

Te

Te volumus, ut Epiſtolas, qvæ prelum nondum ſubiere, nobis exhibeas, tum curabimus, ut Præfationibus atqve Dedicationibus, qvæ ſub manibus nunc ſunt, annectantur. Neqve enim patiemur, ut de tanti viri ſcriptis intercidat qvicqvam, qvi & ætatem ſuam in humanitatis ſtudiis conſumpſit integram & ſcriptis ſuis non immoratus eſt modò, ſed modò, ſed penè immortuus qvoqve. Unde fruere, Lector, laboribus viri tam dedolatis ac

vale.

)o(

Google

I.

Jeremiæ Spigelio S. P.

BEne habet, *mi Spigeli*, vivimus & vigemus; imò brevi, qvod voveo, & ita faxit Deus! Soteria celebrabimus. Rumores qvidem de nobis qvotidiè non plenâ ſaltim manu, ſed ipſo ſacculo ſparguntur, & infeſti reddimur omnibus ſimul & inviſi. Nam qvid malum de nobis Curiones qvidam, qvi cum omnia ſciunt, norunt nihil? Vix qvinqvaginta noſtrum eſſe reliqvos? tantam apud nos graſſari peſtilentiam, ut præ eâ nulla videatur famoſa illa olim, & Lucretii verſibus celebrata apud Cecropes? Tune credis Spigeli? Scis, qvid Petronius meus: *Neqvaqvam rectè faciet, qvi citò credit.* Sic habe tibi omnem jam noſtrum ſtatum breviter & tribus verbis. Deſierat ante paucas ſeptimanas aliqvantum ſerpere illud contagium, & deſiiſſet prorſus, niſi maleferiati qvidã homines ac tantùm non ſacrilegi præpediiſſent. Qvatuor jam ſunt ſeptimanæ, cum ex præpoſtero qvodam timore malè habet M. CHRISTIANI BARTHOLOMÆI Filia, cubat, & bubones duo in collo etumuêre. Qvid parens? nihil mali pertinaciter portendere, ſuſpicioſos cavillari, vicinis timidiuſculis ſuccenſere. Qvid amplius? adhibetur

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Chirurgus,(non qvidem ille,qvi publico ſtipendio infectos illos homines curare tenetur,) ſed Jeremias; ac penè coactus. Qvid fit? Puella convaleſcit, priſtinæqve valetudini reſtituitur. Nihil igitur qvisqve ſuſpicari, ſed omnes ulcera vulgaria fuiſſe putare. Labitur una & altera ſeptimana,tum repentino morbo corripitur famula ejusdem,& altero ſtatim die Cataſtrophen addit ſuæ vitæ fabulæ. Qvo ipſo qvoqve die Domina ipſa uxor M.CHRISTIANI contagio illo infecta jam minatur,qvod famula fecit.Ipſe in ſuburbio degit cum filia,ſalvi & incolumes, qvamdiu viſum DEO. De Taubmanni fato,credo, inaudiſti; ſed propediem, videlicet proximo Jovis, lectiones Virgilianas redauſpicabitur. M.Schmid jam in Cœnobio cum ſuis colit. Cætera ſcribere impedit tabellarii feſtinatio.De illis igitur auguribus Romanis in alium diem. Ad tabellarium tuum, qvàm primum licebit, adibo: jam fieri neqvierat. Verùm eum nec credo rediiſſe. J Haniſius nudius tertius abiit dulcem in patriam terram, ut ait Poëta vetus, illinc accitus matris juſſis & monitis.Sed ohe jam ſatis eſt. Vale, & qvi fuiſti olim,fac erga me impoſterum qvoq; ſies. Raptim Witteb ergæ,21.Septemb. Anno 1612.

II.

Joachimo Meiſnero.

S. P. D.

S. V. B. E. E. V.

Expectationi noſtræ,amiciſſime mi Meiſnere, certè jam ſatisfacies,prout Tabellio retulit, & bonam ſpem juſſit ſperare. Neqve profe-

ctò

ctò jam me magis, qvàm Tibullum, communi Doctorum ſuffragio cultiſſimum Poëtarum, beneficio afficies. De cæteris qvoqve reſcribes nobis & tua mittes: qvæ nimiò diſcupio, imo vero depereo, & qvidem afflictim. Bibliotheca veſtra valdè laudatur nobis: Si meritò ſuò, more: & profecto ego ad vos excurram viſendæ illius & perſcrutandæ. De voce *propago*, qvid ſodes cenſes? An oraculum eſt, qvod Servius ad 4. *Æn.* Unde pòſt Grammatices Magiſtri hauſere, produci debere primam, ſi de vite, corripi, ſi de homine dicatur. Meo judicio certe, niſi tu aliud doceas, ſi Servii eſt, non ſani illius eſt, ſed ceriti certè vel nugantis. Si enim *propagare* verbum primam indifferentem in utraqve ſignificatione habet, qvòd vel unus Lucretius evincit, qvidni & propago, ſive de vite propriè, ſive de homine tralatè dicatur? Qvid? proſodiam metaphora mutat? At vero aſinus, ſive de homine, ſive de animali dicam, corripitur ſemper. Sed ad auctoritates provocant? Hìc qvidem aqva hæret. Virgilii enim exempla contraria: Qvanqvam aliqvi literam p. geminent, qvo nihil opus, Horatii verò dubium, qvia jambicum. Alibi non memini legiſſe, ut videatur claudere antiqvitas, ut antiqvo verbo utar. Sed Sympoſius tamen (& ille vetus Poëta) in *ænigmate de Vite* corripuit:

Nolo loco jungi per me mea nata propago.

Et indubitatò capitalis ille Barthius ad *Rodenborgium meum:*

- - qui per inclytos mores

Sophiaqve nomen ut progago de monte
Generoſa Maſſico, &c.

Et hic ſane veterum mihi inſtar. Non neſcio, qvid ſuper hac re Probus, ſi qvid cenſeo, minus probè. Igitur prætereo, & tuum judicium expecto. Vale, mi Meiſnere, & me ama, qvi T. ſine fuco æternum. Witteb. 15. Julii, Ao. 1617. properè.

III.
Joachimo Meiſnero
S. P.

MElli profectò fuit cognoſcere, te, Ocelle amicorum Meiſnere, jam tandem captivum, & ut cum Horatio noſtro dicam, *gratâ compede vinctum*, à Venere duci. Sic omnibus eveniat, qvi magnæ hujus Deæ imperium ſpernunt. Interim non tantùm illud vetus FELICITER! acclamo tibi; ſed & Tibulli illud mei:

Properantibus advolet alis
Flavaqve conjugio vincula portet amor.
Vincula, qvæ moneant ſemper dum tarda ſenectus
Inducat rugas inficiatqve comas.
Huc veniat natalis avis, prolemqve miniſtret,
Ludat & ante tuos turba novella pedes.

Cæterum ô qvàm vellem intereſſe ſacris tuis & unà tecum hoc gaudere gaudium! Sed millia ſunt profectò, qvæ retinent me qvàm maximè invitum. Interim Muſas mitto noſtras, qvas qvidem rariore veſte repictas in conſpectu tuo, qvi è rarioribus poëtis certè es, volui apparere. An rarius qvippiam ſonent & minus tritum, tuum eſto judi-

judicium. Si modo judicium habent, qvi amant. Noſti enim illud; *Amare & ſapere, vix Deo conceditur.* Primum hoc eſt, qvod in hoc genere tento. Qvanqvam ſine labore & qvâdam feſtinandi voluptate fluxerit. Qvod m e tuo certè, ne verū ipſi verſus probent. Qvicqvid ſit, habe tibi, & ſeriò arbitrare, non qvod mereris, te mactatum carmine; ſed qvod à me ſubitaneô niſu procudi potuit. Vale, mi ocule & in novo iſto amore, mei ne obliviſcere, ac feliciter rem gere. Præfeſtino Cal. Novemb. A. C. 1619.

IV.

M. Conrado Bavaro, Poët.

Prof. Lipſ. S. P.

NIhil hiſce alieni Carminis ſubjungere propter certas cauſas volui. Interim tamen diſſimulare nolo, geminos verſus Græcos, qvos mihi Vir Præcl. Theodoricus Steinmetz/J.U D. in ſuis literis ſuggeſſit, animum meum perturbatiſſimum mirabiliter affeciſſe & leniiſſe dolorem. Extant autem apud Homerum *Iliad. μ. v. 250.*

Ἡμεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βȣλῆ
Ὃς πᾶσι θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει.

Nec temeraria fuit prædicatio alterius, qvi ita ſcripſit qvondā æternæ memoriæ deſtinandum. Tuam illam (jure meritoq; ſic appello) HEROINAM qvæſo officioſè à me ſalutes: Cujus virtutes, comitatem ac lepóres nunqvam ſatis admirari poſſum, imò (da verbo veniam) exoſculari. Valete aureæ animæ. Witteb: 9. Maji, Anno 1621.

V.

Eidem.

MAlè peream, *mi Bavare*, ſi ante, qvàm accepi tuas, cognoverim, incomparabilem Tibi uxorem vi mortis ereptam eſſe. Ego verò qvantum doloris ex illô triſti & illætabili nunciô perceperim, ſcribendo exprimere non poſſum. Nihil do auribus Tuis, ita me illa proximè virtutibus ſuis ceperat, ut mirari hactenus ſatis, imò, ne qvid mentiar, amare, ſed caſtè & honeſtè, non potuerim. Nam cui unqvam fœminæ Natura candidior indulſerat benignius? Cui tot impertierat formæ ingeniiqve dotes? Qvanta venuſtas in ore? in geſtibus elegantia? qvantus eam ubiqve decor comitabatur? Qvæ illâ in ſermonibus amabilior? qvæ ſalitior & jucundior in jocis? Qvis unqvam felicius lepôres cum gravitate, cum comitate magnificentiâ, ſanctitatem cum hilaritate miſcuit & temperavit? O fœminam in exemplum & decus natam noſtræ ætatis! Sed ſumne ego imprudens, qvi hians adhuc dilato vulnus, & dum virtutes ejus commemoro, deſiderium ac dolorem tuum exacerbo? Deſinam igitur, & importunam laudationem abrumpam, Sed nec ſolatia Tibi & verba medentia conferam: Qvippe qvæ fruſtra adhibentur, qvum dolor crudus adhuc, & nullâ ſui parte conſumtus. Proximè igitur à me, & qvum plaga coire cœperit, & Epicedion & conſolationem expecta.

Interea lugere juvat, ac flebile tecum
Plangere, & aſſiduis accendere fata querelis,
Et jura accuſare necis, Lacheſinqve potentem

Hei

Hei nimium; & ſæva non candida licia tela.
Scribebam mœſtiſſ. ſimul & occupatiſſ. ad d. 5. Febr. An. 1622.

VI.
Michaëli Meiſnero
S. P.

PRo gemino munere, *Doctiſſime Meiſnere*, geminas Tibi ago gratias, id eſt, magnas. Et qvidni agerem, qvum non modo illud voluptatem, ſed & mille fructus lecturo ſe allaturum promittebat? Sane tres qvatuorve paginæ leviter ſaltem mihi inſpectæ nil niſi rarum, exqviſitum, doctum, ingerebant. Ut de paucis illis totius operis ingenium haberem cognoſcere. Qvod nemo legat, qvin ſe doctiorem fieri lubens fateatur. Jam qvid gratius, qvid jucundius mihi contingere poterat, qvam vel SCALIGERO diſputanti intereſſe, vel Barthium audire diſſerentem? Qvorum alterū admiror unicè, alterum vero amo. Et profectò ipſa novitas, qvem non moretur atqve afficiat? Qvare gratias Tibi meritò ago pro iſto munere, & magnas qvidem, qvod reqviſitum penitus ac ſelectum. Ἀντίδωρον jam aliud non habebam præter Panegyricum meum: Eum igitur mitto; tum ut legas, tum etiam ut cenſeas. Alterum exemplar ad illum, cui inſcriptum eſt, rectè curabis. Simulqve eum officioſiſſimè à me ſalutabis: Sed etiam me excuſabis, qvòd non addiderim literas, qvod pervolebam certè: ſed negotia non permittebant, & tabellarius qvoqve valde properabat. Interim hoc ſibi certò perſvadeat, velim, me ejus & amatorem

eſſe ingenuum, & cultorem virtuti & eruditioni ejus ſemper devotum. Præfeſtinò Wittebergæ, ad d. 11. Maj. Anno cIↄ Iↄc XXII.

VII.

Rector Magnifice, admodum Reverendi, *Ampliſſimi, Experientiſſimi, Clariſſimi ac Præſtantiſſimi Viri, Collegæ, Fautores atqve Amici officioſe colendi & obſervandi.*

SExtus annus ipſe agitur, cum Sereniſſimus Elector Saxoniæ me, qvod noſtis Rectorem dare Portenſi Ludo cogitaret. Ac ego qvidem abhorrebam minimè à ſuſcipienda ea provinciâ, qvam & per ſe honeſtiſſimam, & plus utilitatis ac commodi mihi meisqve videbam promittere, qvàm, qvâ nunc hos ſedecim annos fungor: Qvæ qvidem ſola alendæ familiæ, ſi rectè ponimus calculum, ſuppeditare minimè poteſt. Sed vobis aliter videbatur, Patres Qvocirca & intercedere voluiſtis pro me apud Principem Sereniſſimum non modo, ut mihi manere liceret in hac clariſſimâ Academia, & qvibus functus hactenùs, eas deinceps qvoq; ſuſtinuerem partes; verùm etiam ut Sereniſſima ejus Celſitudo de luculentiore paulò ac ampliore ſtipendio mihi proſpiceret. Ac copia qvidem commorandi in ſtatione veteri abunde facta eſt: Sed aſpirare ad meliorem fortunam, per auctariolum aliqvod, eqvidem hactenus non potui. Et conſecuta ejusmodi tempora ſunt, ubi potius erat, calamitatibus publicis adhibere remedium, qvàm meis privatis neceſſitatibus conſulere. Qvare exiſtimavi potius, obdurare animum adverſus fortunam.

tunam, bonamqve concipere ſpem, affore tempus, volente Deo, qvo ejus malignitatem, ut ſic dicam, eluctari poſſem; qvàm aut Electori Sereniſſimo, aut vobis etiam importunis qverelis, & nihil profecturis precibus moleſtum eſſe. Bienniô autem adhinc, & qvod excurrit, factum eſt, ut de ſuſcipiendo Gymnaſii Hamburgenſis Rectoratu mecum ageretur. Qvæ qvidem conditio, etſi luculenta perqvam & refertiſſima multorum commodorum, qvibus firmari & ſtabiliri meæ vacillantes res poſſent, videretur; obtinuit tamen amor patriæ, & qvô hanc Academiam clariſſimã, formatricem meorum ſtudiorum, ſemper complexus ſum, ut iis aſſentirem potius, qvi hic manendum mihi, qvàm qvi eundum ſtatuerent, qvò duceret bonorum hominum favor. Præcipuè cum animadverterem, me diſcedendi veniam, & deponendi has partes ægerrime impetraturum. Itaqve egi gratias, qvi alibi mea volebant commoda agere, & meum iſtum nidulum minimè migravi. In qvo & ſenium meum, ſi qvod tuturum, componere, animus ſemper fuit, vitamqve finire eo in loco, ubi tot clariſſimorum virorum amicitias comparaſſem mihi, modò & tolerabili conditione meis tandem, ſi qvippiam mihi fortè accidiſſet humanitùs, degere liceret. Qvod qvidem, ut præſens ſtatus meus eſt, polliceri mihi vix poſſum. Qvæ cum ita ſint, & cum per horum temporum duritatem ſummamqve rerum omnium perturbationem omnis propè ſpes, de conſeqvendo uberiore ſtipendio occiſa mihi atqve projecta penitus ſit, aliam

nobis certè jaciendam aleam exiſtimavimus. Nam cùm viderem Oratoris, ſeu Eloqventiæ Doctoris partes demandandas propediem alii, qvi eâ & doctrinâ & uſu dicendi eſſet inſtructus, ut munere eo,& cum emolumento fructuqve diſcentium,& cum clariſſimæ hujus Academiæ ornamento aliqvo ac laude fungi poſſet; poſteaqvam non ita pridem clariſſimus Vir JOHANNES AVENARIUS J. U. & Philoſ. L. exceſſiſſet vivis; minime eqvidem deeſſe mihi, ac ſedere diutiùs atqve qvieſcere debui. Qvam vitam degerim hactenus,ex qvo & civis veſter, & publicæ dignitatis particeps fui, qvâ diligentiâ & fide in obeundis officii partibus verſatus, qvam operam qvoqve dicendi ſcribendiqve pariter,cum aliis,tum huic ipſi Academiæ navarim, vos minimè latet. Sed neqve & id ignoratis,Patres,ſemper eò contendiſſe meam induſtriam ſtudiumqve,ut, qvoad poſſem, Muſarum aſſererem honeſtatem,eamqve minimè paterer à ſenſim ſe reducente barbarie, faſceſq;qvibus ſuperioribus ſeculis, cum renaſci cœpiſſent bonæ literæ, exciderat, per ignaviam qvorundam & faſtum,omnibus modis recuperante conculcari. Qvod ut facerem, eqvidem me, non lucri cujusdam invitavit ſpes, à qvo hoc ſtudiorum genus fermè abeſſe ſolet; ſed illa ipſa literarum dignitas, & hujus Academiæ gloria me inſtigavit; Qvæ qvidem diu noctuqve videbatur aſſiſtere, mihiqve tot magna & dudum immortalitati dedicata ſubjicere nomina,Siberos,inqvam,Taubmannos, Rodenburgios, alioſqve complures,&

adhortari ſubindè ad velut ſtimulos qvosdam addere, ut imitarer ac ſeqverer tantos duces, minimeqve committerem, ut, qvod per ipſos partum decus ac nomen, meâ ſocordiâ atqve mollitie concideret ac expiraret. Sed horum famam ac gloriam ut mihi promittere ſine audaciæ cujusdam ac arrogantiæ notâ vix poteram: Ita degeneris atqve ignavi contra exiſtimabam, ſtare ad carceres, nec eo velle contendere, qvò tam præclara veſtigia ducerent ac invitarent. Non itaqve deſtitui, qvòd ſemel propoſueram animo; ſed verò alacriter perrexi decurrere meum iſtud ſtadium, vel unâ conſcientiâ rectæ voluntatis contentus, ſi alia fortè præmia deeſſent. Qvapropter cum neqve maculæ aliqvid atqve dedecoris admiſiſſe in Academiam, nec defuiſſe unqvam officio, & optimô ſemper animo ac voluntate in ſtudia literarum extitiſſe mihi viderer, audebam certe inducere animum, ut etiam ipſam profeſſionem Eloqventiæ ambiendâ nunc mihi ac affectandam exiſtimarem. Ita qvidem, ut ad eam, qvâ functus hactenùs, qvamqve adhuc divinâ gratiâ ſuſtineo, unà obeunda ac adminiſtranda adjiceretur. Qvanta enim Poëtices & Oratoriæ cognatio ſit, vel inde patere arbitror, qvod utraqve pene iisdem præceptis conſtet; nec aliunde originem duxerit omnis ornate ac ſplendide eloqvendi ratio, qvàm ex Poëtis. Nec dabitur facile, ut ego opinor, qvi aſpirârit ad ſummam aliqvam ac excellentem in facultate oratoriâ gloriam, qvi non & ipſe præſtiterit facultate ſcribendi carmina;

mina; certè in Poëtarum lectione non perfunctoriè fuerit verſatus: qvod vel unicus Cicero, parens Romanæ Eloqventiæ, & velut Deus qvidam, teſtari poteſt. Qvò major autem hujus ampliſſimæ facultatis utilitas atq; præſtantia eſt, de qvâ hôc locô nihil dicendum, eò profectò gravior ac diligentior cura vobis incumbit, Patres, videndi ac conſultandi, cui potiſſimum ea credi in poſterum ac demandari Sereniſſimi Principis auſpiciis debeat. Neqve enim ſatis eſt, (ut paulo liberius fiduciâ veſtræ humanitatis vobiſcum loqvar) præceptorum farraginem ex Rhetorum libris colligere, eaqve inculcare juventuti, qvod certè, ſi Craſſo, ſummo Oratori, hâc ipſâ de re apud Tullium diſputanti, credere volumus, minimum in hac arte atqve facillimum eſt; ſed oportet præterea oſtendere qvoqve rationem imitandi bonos auctores, & omnes dicendi formas ac characteres, ut Græci vocant, eorumqve virtutes ac vitia aperire atqve docere, in qvo præcipuè ipſa vis eloqventiæ poſita eſt. Neqve enim ubiq; unô atq; eôdem orationis genere utendum eſt, ſed prout res, de qvibus dicimus, comparatæ ſunt, ita inſtituenda oratio, & nunc ſubtiliter ac preſſe, nunc contrà ampliter & copioſè dicendum eſt. Qvod nemo præſtiterit ſatis, niſi cui in iſtis literis ſubactũ judicium, qviqve cum iis Scriptoribus, qvi veræ germanæqve eloqventiæ dederunt operam, ut ſunt pleriqve veterum, uſum ac conſvetudinem non vulgarem ſibi contraxerit. Ac ego qvidem infantiæ meæ atqve tenuitatis ipſe mihi optimè conſcius ſum; putaverim tamen,

men, aſſiduâ auctorum diſertiſſimorum lectione profeciſſe nonnihil, & obſervaſſe hactenus, qvod non ſine fructu aliqvo communicari cum juventute noſtrâ poſſit: qvod qvidem hactenus nonnullorum egregiorum adoleſcentum rogatu & precibus privatim feci. Qvod ſi itaq; horum ſtudiorum fructum aliqvem poſt tot annorum labores ad me redire par eſt, unde & ſolatiolum aliqvod graviori (ſi qvæ contigerit) ætati, & liberis meis præſidii nonnihil ſperandum habeam; Ac ſi hunc ipſum fructum per difficillima iſta tempora aliundè, qvàm ex conjunctione duarum harũ profeſſionum, Poëtices ac Eloqventiæ, vix poſſum capere; à vobis, Rector Magnifice, cæteriqve Patres Academici Ampliſſimi, officioſè, & peramanter rogo ac peto, ut pro ſummo illo ſtudio, qvo bonas literas proſeqvuti hactenùs, proqve illâ benevolentiâ ſingulari & humanitate incredibili, qvam mihi ſemper exhibuiſtis, qvamqve meritò magnificare ac prædicare ſolitus ſum, hæc vota & deſideria mea, nec injuſta, ſicut opinor, nec improba, aut ab uſu abhorrentia planè ac nova, Sereniſſimo Electori qvam diligentiſſimè, & qvidem præ cæteris (ſi mereri videbor) qvi hanc eandem, ut veteri verbo utar, procantur ſponſam, commendare dignemini. Eſt qvidem pleniſſimum pietatis, mereri benè de omnibus, atqve qvorumvis honeſtos conatus juvare ac promovere; ſed iis adeſſe præcipue decet, qvi qvodam arctiore vinculô colligati nobiſcum atqve jamdiu noſtri ſunt, & qvoddam qvaſi peculiare jus impetrârunt. Qvos certè negligere

præ-

pendiis oritur,longè majus atqve præſtantius eſſe damnô illô atqve incommodô, qvod inde per caſum aliqvem ac morbum, ſicut oſtendimus, evenire poteſt. Enimvero qvi noverit, tantum redire ſibi ex ſuo munere, unde & tueri familiam,& liberis qvoq; nonnihil proſpicere in futurum qveat, is alacrem ac nullis aliis curis defatigatum animum ad ſua ſtudia afferet, atqve id cogitabit præcipuè,eritq; ſolicitus,ut,qvas docet ipſe ac profitetur artes, præ cæteris excolat eaſqve ad ſummam, qvoad fieri poterit, perfectionem adducat. Qva ex re qvantum ſperare emolumenti ac commodi in publicum liceat, per ſe manifeſtum ſatis eſt, nec declarari atqve oſtendi pluribus hoc loco debet. Contrà verò, cui cum domeſticis ſordibus ac ſqvaloribus conflictandum aſſiduè, qvomodo, qvæſo, is erigat animum,& comminiſcatur egregium aliqvid atqve excellens, qvod aut præſentem juvet ætatem magnoperè,aut admirationi poſteris fuerit? Nam ut ex ſtudiis gaudium, ſic ſtudia hilaritate proveniunt. Qvæ qvidem alia ſtatuenda non eſt,qvàm cum ſecurus rerum aliarum animus ſibi redditur, & vacuus viliorum cogitationum gliſcit ac emicat, voluptateqve incredibili, qvæ ex contemplatione pulcherrimarum rerum ipſi ſuboritur, perfuſus ac plenus, magis magiſqve diſcendi ſtudiô inardeſcit, nec ante qvieſcere ac ſeſe velut capere poteſt, qvàm aſſecutus penitùs, qvæ volebat cognoſcere, ſibiqve adeò ſatisfecerit. Qvocirca fieri neceſſe eſt,ut ii,qvi difficultatibus domeſticis per arctiora ſtipendia laborant

rant, aut frigidè langvideqve tractent commiſſas partes (velut jumenta, qvibus cùm pabula ſubtracta fuerint, ægrè ad obeundos labores procedunt) aut alia agant, unde cum tempore meliora & ampliora vitæ præſidia ſibi polliceri qveant. Cujusmodi ſimul evenit occaſio, tum illi nihil cunctati arripere affulgentem ſpem utrâqve manu, & penè promtiùs cedere aliis partes ſuas, qvàm olim acceperunt. Qvod qvam perniciosſum ſit, atqve cum maximo ſtudiorum detrimento conjunctùm, facilè videtis. Ego verò hoc illis infelicior ſum, qvod nec hâc ipſa viâ effugere poſſum domeſticarum rerum anguſtias. Namqve ad ſacerdotia, in qvibus vel præſentiſſimam opem pleriqve ponere, eaqve velut ſacram anchoram habere ſolent, qvis mihi aditus pateat, non video. Qvò magis danda opera, ut aliâ qvadam ratione mihi & rebus meis conſulatur. Qvod aut hac occaſione potiſſimùm aut nunqvam temerè aliàs, ut tempora ſunt, & ſi me manere hîc ſit neceſſe, fieri poterit. Qvod ſi, nec iſta qvidem ſufficient ad eximendum ſcrupulum, qvem injici poſſe, ſupra oſtendimus; age, ipſi conditionem feramus ac legem, qvâ ſi obſtringar hanc ingreſſurus provinciam, omnis illa difficultas ſublata penitus atqve infracta videatur. Nam qvamvis per ineffabilem bonitatem DEI de valetudine & ſanâ mente conſervandâ ſpem optimam foveam, nec qvicqvam mali iſtiusmodi, qvod tamen evenire poteſt, ominer; tamen, ſi fortè acciderit (qvod idem Soſpitator noſter unicus clementer avertat)

ut

ut aliqvô diuturnô & chronicô, ſicut *Medici* vocant, morbô impediar, penitusqve decumbam, atqve ne domi qvidem obire munus & demandati officii partes poſſim, tum ego ſufficiam ipſe mihi idoneum hominem, qvi meas vices agat interim publicè, & qvaſi legatus aut optio in profeſſione alterutrâ, prout neceſſe fuerit, adminiſtret, qvo minus hac ratione detrimenti valetudo illa mea, qvam deprecor, juventutis ſtudiis importet. Habetis univerſam ſeriem & deſiderii mei & voluntatis: qvæ ſi probabitur, ut ſpero, vobis, Collegæ optimi, egoqve dignus videbor maximè, cui hæc oratoria profeſſio committatur deinceps, mihiqve aliqvod inde ſolatium accedat, agite, & qvod ſuprà à vobis enixè petii, me & ſtudia mea ElectoriSereniſſimo diligenter & ſtudioſè commendate. Qvi ſi auſpiciis ſuis, qvæ decreveſtis de me, habebit rata, egoqve hanc Oratoris provinciam obtinuero, eqvidem in id aſſiduè omnes ingenii, conſilii ſtudiiqve mei nervos ac rationes, ſicuti hactenus, ita in poſterum magis ac magis dirigam atqve intendam, ut ſua laus Academiæ gloriaqve ſi amplificari non poſſit, indeminuta tamen maneat, noſtraqve juventus ad veram virilemqve eloqventiam, non ad fucatam illam atqve elumbem inſtituatur, nec fractum aliqvod & ſanum parum aut decens, ſed vivax & ſuis nervis conſtans, pudiceqve ornatum, ac rebus ipſis, qvod neceſſarium cumprimis, aptum orationis genus addiſcat. Vobis autem, Rector Magnifice, & cæteri Patres Aca-

demici Ampliſſimi, ita officia mea ac ſtudia ſemper conſtabunt, ut vos præclaræ hujus benevolentiæ in me ac voluntatis, hujusqve collati beneficii pœnitere jure nunqvam poſſit. Valete feliciter. Deus & hunc ineuntem, & plures annos alios proſperrimè atqve ex animi ſententiâ vobis decurrere ſinat. Dabam Wittenbergæ ad d. VI. Januarii, anno recuperatæ gratiæ cIↃ IↃC XXXII.

VIII.

Friderico à Metſch

GENEROSE, ILLUSTRIS, ATQVE Magnifice VIR, Exlegate, & PræſesEminentiſſime,

QVamvis durities temporum, & iſta fatalis calamitas patriæ leporum omnium, & cujuscunqve feſtivitatis ſtudium planè reſtingvat; noſqve adeò non invenuſtos tantum atqve inſubidos, ſed etiam exenſos fermè ac elingves reddat: non tamen efficere potuit, qvin animus noſter ad deſideratiſſimi reditus tui nuncium raptus qvaſi, & extra ſe poſitus, efferveſceret geſtiens, & eluctatus fati iniqvitatem ad oſculum manûs tuæ, PATRONE, feſtis tripudiis emicaret. Nam cùm Te reducem Pragâ, regiâ urbe, & qvæ Bohemiæ ſuæ caput dat, legatione Ampliſſimâ functum votivis plauſibus excepiſſet Dreſda, Collegæ & Amici eſſent amplexi; ipſe, qvi miſerat, Potentiſſimus Elector, datâ dextrâ fidem atqve prudentiam tuam laudâſſet, impietati propiùs erat, ſedere me domi mœſtum & ſqvalidum, nec ſtatim perrumpere, qvicqvid vinculorum adhuc aut fati noſtri ſævitia, aut & non ſatis bonâ fide

pro-

profligati morbi malignitas nectere videbatur, atqve arrepere adeo in complexum tuum qvaſi, & hoc tam recens partum decus, hanc tàm inſignem acceſſionem novæ gloriæ, PATRONO OPTIMO gratulari. De qvâ cùm cogito, & qvandam velut imaginem ejus complector mente, idem mihi evenire ſentio, qvod lignatoribus ſolet accidere, qvi in ingentem delati ſylvam hærent dubii, & tantùm materiæ cùm notent undiqve, deliberant ſecum, cui potiſſimùm ſtipiti ferrum intentent. Neqve enim, qvid primò mirer, qvid ſecundo prædicem; qvid omninò vel dicam ſanè vel taceam, diſpicio ſatis. Magnum Legationis munus eſt: & ſicut Principes Diis proximi, ita Principibus Legati. Qvos ſecundos magis æſtimabimus, qvàm qvi primorum perſonam ipſi gerunt? Qvare qvæ domi Majeſtas Principem; Legatum peregrè ſeqvitur & ambit. Qvi qvodam jure ſibi vendicat, qvicqvid mittentis fortunæ deberi poteſt. Sed inter Europæ Regna ecqvod nobilius ullum Germaniâ eſt? aut in iſtius Principibus ſublimius aliud, qvàm Saxonum culmen? Poſt hæc toto terrarum orbe nulla auguſtior poteſtas Cæſare eſt; qvi ſolus cum conditore rerum & univerſi Principe diviſum qvaſi imperium habet. Qvantò illuſtrior igitur dignitas tua, & excellentior gloria eſt, FRIDERICE, qvi â tantô ad tantum miſſus geſtâ pulcherrimè re feliciter redis? Non eſt cujusvis Principem gerere: Legati qvoqve explere numeros, pauciſſimis datur. Nam præter nobilitatem ſplendoremqve generis, & cætera,

qvæ majeſtatem circumfundere, & qvoddam qvaſi lumen addere poſſunt; excellenti ingenio, robuſtâqve prudentiâ, & qvæ in omnes partes verſare ſe novit, ſolertiâ opus eſt. Qvid nunc de gravitate morum, qvæ Gratiarum lepores non excludat tamen, commemorem? Qvid de facundiâ & eloqventia? qvæ abſoluta ni adſit, omnis propemodum opera ei perit. Atqve hæc omnia tamen aderunt fruſtra, ni plenus fidei, & conſtans invictusqve adverſus qvasvis machinas, terriculaqve omnis generis animus accedat. Qvi ut divinum qvippiam eſt, ita non niſi divinis hominibus contingere ſolet. Qvæ cum recogito mecum, & volvo animo, ſimulq; Legationum tuarum ineo numerum, totamqve illarum percenſeo ſeriem, incertus ſum, an in Te excellentiam naturæ admirer magis, qvâ tantas ingenii animiqve dotes feciſti lucri, an diſciplinam & ſtudium, & experientiam diuturnam pluris æſtimem, qvâ efficacior Magiſter contingere nemini unqvam poteſt? Neqve enim opinor, collata tot in Te vicibus ſummi fuiſſet dignitas muneris, niſi præ multis aliis inſtructus virtutibus iis omnibus eſſes, ſine qvibus præclarè, rectè, feliciter ſuſtineri ea haud poſſet. De qvibus ut multa hoc loci dici poterant, atqve debebant etiam fortaſſis; ſic raptim ac feſtinatè ſimul, & pro illarum magnitudine loqvi, perqvam difficile. Id tamen prætereundum non eſt; tam Te præclarè feciſſe ac fortiter, qvod detrectare has noluiſti partes, qvàm Sereniſſimum Electorem ſapienter, qvi Tibi præcipue commendavit. Sicu-

ingens

ingentis viriliſqve animi eſt,non declinare labores ac fugere,ſed promtè ſuſcipere Reipubl. cauſâ,cui ſe natum intelligat; ita eligere, nec niſi dignos maximè atqve idoneos vocare ad partes, in ſapientiſſimum qvemqve cadit. Ac ut judicium maximi principis honori ſummo; ita perfectæ & abſolutæ laudi erit. Te non minore probatum gloriâ, qvàm expectatione antè electum; & ſatisfeciſſe juxta, tum qvi miſiſſet, tum qvi Te admiſiſſet Legatum. Hinc famâ illuſtris nominis, & tot virtutum tuarum præconiis,non Francofurtum, non Ratisbona,aliæqve imperii urbes tantùm,ubi ſic,qvaſi in auguſtiſſimo theatro Te præbuiſti ſpectandum;ſed nunc &Praga qvoqve reſonat, ſic aliena, ut noſtra non minus atqve imperii videatur: Tuasqve tàm excellentes dotes animi, poſt tot ImperiiProceres, ipſa capita rerum Auguſti lætiſſimis calculis proſeqvuntur. In qvibus cùm apex ipſe & ſumma Sceptrorum omnium poſita ſit,qvid eſt,qvò ferri ulteriùs gloriæ tuæ curſus qveat, cùm eò provectus faſtigii ſit,qvod ſummum & ultimum terris ſtat,nec qvidqvam par alibi aut ſecundum videt? De qvâ felicitate qvam lætor meritò, tàm gratulor qvoqve Tibi,PATRONE,& Te tot maximis rebus mactum jubeo eſſe, qvibus hanc Tibi comparaſti. Nihil enim hîc ſibi fortuna vendicat; nec in ſocietatem laudis temerè venit caſus, qvam virtus prudentiaqve confecerunt. Qvæ ſibi ipſæ præſtare ſolent,qvod alii à fortuna plerumqve expectant. Gratulor, inqvam, nec Tibi tantùm, PATRONE, ſed patriæ etiam, cujus

maximus Tibi amor, ſummum ſtudium in eſt; ſed Patri etiam Patriæ, qvem poſt communem omnium colendum Tibi præcipue cenſes. Qvin ſeculo etiam faveo, cui Te tantum Virum tantum Exemplum Supremum Numen, hâc tempeſtate maximè, qvâ bonis artibus cumprimis eſt opus, non denegavit. Ac qvanqvam jam id ætatis attigeris, cùm de qviete ac otio alii cogitant, & ipſa multitudo meritorum tuorum immunitatem laboris ac miſſionem jure qvodam flagitare videatur: (decimâ enim Legatione functus es, qvem Pythagoræi numerum omnium maximum & perfectiſſimum habent: ita, ut ſit neceſſe ferri retrò, ſi qvis putare ulterius tendat,) non ea tamen, PATRONE, ſedebit unqvam Tibi ratio, ut qvid accedere velis tuis commodis, qvod Reipubl. utilitatibus decedat; & uni prodeſſe, qvod in communi expediat malè. Non manus noſtræ tantùm & pedes & cætera corporis, qvæ ætas & ſenium tentare poteſt, Reipubl. ſerviunt: Animus noſter ac mens debetur ei cumprimis. Qvæ ſola ingraveſcente ætate valeſcit maximè: & vires inde ac incrementa ducit, unde exitium alia & finem expectant. Non viribus tantum ac velocitate magnæ adminiſtrantur res: conſilio, auctoritate, prudentiâ conficiuntur. Qvæ propria velut ejus ætatis ſunt, qvæ & minus patet cupiditatibus, & qvum didicerit, viderit, audierit plura, maximè etiam ſapit. Qvare & apud Euripidem Jocaſta prudens:

Nonnihil fert commodi
Senecta ſecum: multa qvæ membris virens

Ne-

Neſcit juventus, monſtrat experientia.

Non Phœnix, non Neſtor ille Homericus, uterqve ſenex & grandis natu, à rebus agendis abſtinent, & feſſam ætatem qviete ac otio traducunt: Seqvuntur caſtra, aſſunt Principibus, aliqvando manu, ſemper conſilio ac ſapientiâ rem gerunt. Qvid nunc de frugi illo & Imperatore maximo dicam, cujus generoſum & planè dignum Veſpaſiano effatum illud eſt: *Stantem*, ajebat, *decedere Imperatorem oportet?* Sed ſive manendum Tibi in ſtatione veteri, & qvæ ingreſſus ſemel honorum ſpatia, novis curriculis continuanda: ſive ſubductâ ex alto navi, in littus egredi, fractumqve laboribus & tempeſtate jactatum corpus levare qviete contigerit; id precor Deum id veneror ſupplex, ut & actiones tuas provehat atqve ſecundet; & otium protegat & tueatur. Qvod ut à negotiis abſtrahat Te, non tamen à cura Reipubl. abducet. Qvocunqve ſecedas, ſeqvetur Te amor Patriæ, & cogitationibus præclaris implebit pectus! In ſolitudine ipſa non eris ſolus. Venient juvenes, venient viri, ut dicta tua hauriant, & qvicqvid didiceris, qvicqvid expertus fueris, pronâ imbibant aure. Sic ſchola atqve Gymnaſium ſapientiæ erit ſecretum qvietis tuæ ac otii: cumqve ipſe non ampliùs geras atqve ſuſtineas Publicam rem; qvi olim id poſſint, formabis ac finges. Sic vivere magni viri, ſic otiari ſapientes ſolent: nil, qvod non expedit, faciunt: cum ceſſant maximè & maximè juvant.

Wittenbergæ, ad d. IIX. Sept. An. cIↄ Iↄc XXXIIX.

IX.

Conrado Davidi Büchero.

S. P.

P*Ræſtantiſſime mi Büchere*,promiſſa pecunia ea recte curabit *R.* noſtra, qvæ voluiſtis. De vino ei dedi negotium,ut qvam optimum nanciſci poſſet,id præſtinaret. Nam vappam ægroto mittere nihil aliud eſt,qvam mittere novum malum. De Muſeo Oſtermanni res confecta vobis eſt. Vos videte, ut ſatis feliciter advenitatis, qvod Deum precor. *Laureolam ex muſtaceo petere*,eſt, ut opinor, petere gloriam vel laudem ex aliqvare, ubi nihil amplius ejus ſit, qvod non jam totum ab aliis occupatum. Qvaſi qvis ex muſtaceo potius,tali genere, cui lauri folia ſubjiciebantur, laureolam, qvam ex ipſa arbore petere inſtituat. Sane ita videtur hac formula uſus Cicero *lib. V. Attic. Ep. 20. De muſtaceis* autem Cato *de re ruſtica cap. 121.* Gratum fuiſſe munuſculum Dominæ Brandiæ,perqvam gratum nobis eſt. De judicio autem utinam ne fallatur. Interim abundet illa ſuo ſenſu. Nobis ad Voluptatem ſat eſt, non diſplicere. Qvod in fine epiſtolæ de *intempeſta nocte* ſcribebas, ſtare ſane non poteſt ad rationem diei Romani. In qvo *intempeſtæ noctis* nomine id venit tempus, qvod mediam noctem proxime antecedit, cum tempus agendi nullum eſt. Clarum id ex Cenſorino, Varrone, & aliis. Tu verò id videris intellexiſſe,qvod auroram antecedit. Ideo enim ſubjunxiſti Terentianum illud: *Qvid? illuceſcit hoc jam.* Vale & me ama. Familia veſtra

tota

tota ſalveat. Raptiſſime ad d. xv. Sept. Anno cIↄ Iↄc xxxIIx.

X.

Joachimo Hagmeiero.

S. P.

QVas hôc ipſô menſe Hamburgi dederas, eas traditas ſcias; non item, qvas Leidâ miſiſſe cum neſcio qvonam Maſio ſcribis. Qvas interiiſſe hoc magis doleo, qvod iis Gronovii atqve Fabricii noſtri Poëmata adjuncta fuiſſe ſignificas. Nihil enim hujusmodi deliciarum hactenus ad nos venit: & qvicqvid Belgæ & Batavi edunt, aut ignoratur penitùs, aut de Catalogo ſcitur tantùm. Librorum aliqvid inde nihil infertur. Qvô fit, ut in ſolitudine aliqva propè, aut in barbarie agere videamur. Qvare ſi qvid iſtius ad nos mitteres, magnô profectò, qvin potius ingente nos beneficiô ornares. Heinſii tamen Reſponſionem ad *Balſaci Epiſtolam*, & magni Salmaſii de *uſuris* ſemel aſpicere licuit: ſi qvam rationem inire poſſis, ut ipſi libri ad me perveniant, plurimum te amarem: de ſumma, ut par eſt, ſatisfacturus. Academiæ ſtatus longe afflictiſſimus eſt. Nam belli defunctos diſcrimine annonæ gravitas miſerrimum in modum afflixit: adeò, ut invitis mortalibus fame pereundum fuerit. Qvare multis hinc diſcedendum fuit: Unde ſtudioſorum numerus ad miram paucitatem redactus. Interim tamen ſunt nobiſcum adhuc nonnulli boni ac docti. Ac nos, qvantumvis nihil omninò ſtipendii ſolvitur, qvo nunc in qvartum caremus annum, tamen &

publicè privatimqve obimus partes. Neqve enim negligendi & contemnendi ſunt, qvi cum magnô ſumtu hic vivunt. Commodiore annonâ nos fore uſuros deinceps, ſpes anni, & qvæ pulcherrimè hactenus provenerunt ſegetes, videntur ſpondere. Qvod ſi erit, & Academia noſtra, opinor, uberiora paulò incrementa capiet, nobisqve ipſis aliqvantò melius erit, qvorum duriſſima hactenùs conditio fuit. Latori harum, ambienti pædagogiam apud vos, ſi qvâ in re prodeſſe qveas, & ejus juvare conatus, id facias qvæſo. Sennertus viciſſim te ſalutat. Is nunc Profeſſionem Ethices ambit, qvam bis hôc annô contigit vacare; Semel exceſſu optimi Nigrini: Deinde M. Schneiderô mortuo, qvi ſurrogatus ei fuerat. Obiit Schneiderus Aprili proximo in ipſo flore ætatis, cum nondum XXVII. annos explevíſſet, cum magnô damnô literarum & Academiæ noſtræ. Qvæ novum ornamentum ſibi ac decus ab eruditiſſimô ejus ingenio totqve optimis artibus inſtructô promittebat. Sed cedunt omnia ſatis. Tu vale & nos ama. Raptiſſimè ad d. XX Junii An. cIↃ IↃC XXXIX.

P. S.

B*Anirus ad Brandiſum caſtrum munit, & dum Cæſareanæ copiæ contrahuntur Pragæ, ipſe interim in Sileſiam Moraviamqve ſubinde excurſiones facit agitqve prædas. Heri inceſſit rumor, decertatum acie, ſed æqvô Marte diſceſſum; à Cæſareanis tamẽ Leutomeriziũ receptum fuiſſe. Qvid veri falſivè inſit, docebit dies. Ampliſſ. Dn. Linde-*

debrogium ut officioſè ſalutes, rogo. Qvid eruditiſſimus ſenex machinetur, qvid item de Exercitationibus Heinſii in Novum Fœdus expectandum nobis ſit, fac ſciam.

XI.
Eidem
S. P.

NOndum integer menſis eſt, qvod reſpondi ad tuas, qvas vix dum domum reverſus ex Batavis dederas. Eas tradidi cuidam Koplero ex Scholaſticis noſtris, qvi experiundæ fortunæ ad vos proficiſcebatur. Num redditæ ſint, valdè aveo ſcire. Semel qvidem atqve iterum obteſtatus ſum hominem, ne ſpem meam falleret, & id committeret in ſe, qvod Maſius ille commiſiſſet, cui faſciculum ad me perferendum Leidæ credideras. Neqve enim aut ipſum hominem, aut qvod exhibitum oportuit, unqvam hactenus conſpicere licuit. De qvâ re & ſcripſi nuper, & nunc qvoqve non leviter habeo qverendum. Et tamen qvod ſemel periiſſe videas, pro perditô habere oportet. Ad proximas tuas ita habe: Nihil omiſſum à Paſtoribus veſtris in Apologetico Jungii: & ea ipſa, de qvibus qværebas, diſerte haberi in exemplari transmiſſo. Reſponſo Theologorum omnes ſubſcripſerunt, qvi eam Facultatem conſtituunt, D. Martini, D. Röberus, D. Lyſerus (is, niſi fallor, concepit) & Hülſemannus. Noſtri Collegii eo tempore Decanus fuit D. Wellerus. Sed qvid qvæſo iſta ad te, mi Hagmeiere? Qvomo-

mo-

modo,ſodes,acceſſio factus es alienæ litis? Explica,oro, mihi hunc æſtum, & vale. Raptim Wittenb. ad d. XVII. Julii. A. cIↃ IↃcxxxix.

XII.

Joachimo Hagmeiero S. P.

Literæ tuæ, qvibus ad proximas meas reſpondebas, *Hagmeiere Præſtantiſſime*, recte accepi. Ex qvibus cum intellexerim, te Panegyricum noſtrum, qvem Viro incomparabili DAN. SENNERTO diximus, nondum vidiſſe,ejus exemplar nunc mitto. Adjunxi & alia: Ex qvibus intelligeres, Academiæ noſtræ calamitatem & fatum longè luctuoſiſſimum: Qvæ cum diſcentes paucos alat amplius,docentes qvoqve ipſos amittit; ut dejiciantur non modo præclara ſtudia & opprimantur magis ac magis, ſed ipſa qvoqve reſuſcitandorum ſpes in tot Clariſſ. Virorum caſibus extingvatur. De Tangermindenſi negotiô, conſiliô tuô, qvamprimum licuerit, utar. Nam hactenus qvidem non potui. De catalogo Leydenſi plurimum amo te. Interim tamen nimioperè dolet, nos præclarorum operum titulos legere, ipſa non poſſe. *Exercitationum Heinſianarum in Fœdus Novum* ſi duo exemplaria qvam primum curares ad me,alterum pro me, alterum pro Nobiliſſ. Domino Friſio, magnô beneficiô nos tibi obſtringeres Pecuniam hic Hamburgenſi cuidam, cui velles,ſtatim annumeraturus eſſem, qvam in coëmendis illis impendiſſes Valeſii *Ammianum* non vidi. Si tu, aut Dn. Lindebrogius, qvem offi-

officioſiſſimâ ſalute meô nomine impertieris; qvæſo ſignifices, de eo qvid videatur, & qvid præLindebrogii editione peculiare atqve eximium habeat. Ad nos nihil affertur bonorum librorum, & bibliopolæ noſtri alia mercimonia exercent. Itaqve à barbarie proximè abſumus. Sed qvidFabricius, qvid Caſſius, qvid Londius noſtri, aut ubi agunt? Ubicunqve agitent, opto voveoqve, ut benè & memores noſtri! Niſi hoc menſe diſceſſeris, fors erit, ut filius meus natu major te Hamburgi conveniat, & meo nomine ſalutet. Nam qvia ſuppeditandis ſumptibus in ſtudia ampliùs non ſum, in Regis Daniarum aulâ experietur fortunam: Cui ab Electrice noſtra vidua commendabitur; in cujus aulâ jam degit. Huc redit noſtra ſpes, *mi Hagmeiere*, & ſeriò illudPoëtæ uſurpare poſſumus, *Fuimus Troës*; Scis qvæ ſeqvuntur. Vale & me ama: qvi ego te & tuas eximias dotes virtutesqve depereo planè. Wittenb. raptim ad d. V. Octobr. A. cIↄ Iↄc XXXIX.

XIII.

Eidem S. P.

S. P.

QVô ſiluiſti diutiùs hactenùs, *Præſtantiſſime mi Hagmeiere*, eô gratiores venerunt tuæ, qvasM. Wendlerus per fratrem ſuum mihi exhibendas curavit. Ipſe enim paulò pòſt, qvam huc veniſſet, profectus eſtDreſdam, prenſaturus Aulicos de impetrandâ Profeſſione Ethices, qvam denuò apud nos vacare contigit, ex qvâ L. Scharffius ad Extraordinariam Profeſſionem Theo-

Theologiæ aſpiravit. Mirè autem jucundum fuit audire in propinqvô agere te. Ita enim futurum ſpero, ut paullò crebriùs ad me commeent literæ tuæ: qvibus nihil mihi poteſt eſſe acceptius, tùm per ingenuam illam & nihil affectatam elegantiam orationis, qvâ ſolent præſtare; tum qvia plurimùm amo te eas ob cauſas, qvas prædicare aliis ſatius erit, qvàm apud te ipſum commemorare. De Maſio & qvem in Batavis ipſi commendaſti faſciculum, nihil dum potui explorare. Tu in vicinia mane modò, nec deerit, puto, occaſio eò mittendi literas; ac fortean Tangermûndani cives in Academia veſtra agunt. per qvos omnia tibi patere poſſunt, qvæ mihi hic occluſiſſima ſunt. Præcipitante hieme anni Clariſſ. Dn. Lindebrogius ſcripſit ad me. Cauſa erat Nigrinus qvidam, civis tuus: qvem, cum mittendus in Academiam eſſet, meis & ædibus & menſa volebat recipi. De ædibus facilè aſſenſi, cum ſatis vacarent: De menſa nihil certi pronunciare habui. Nam cum qvi mecum fuiſſent hactenus, aut demigraſſent jam, aut in procinctu ſtárent mox abituri, minùs commodum videbatur, uni præbere cibum, & eum unctiuſculum qvidem, qvem pro fortuna lautiore hominis expetebat. Significavi tamen, ſi unus & alter ſe ei vellent adjungere, daturum me operam, ut ipſi ſatisfieret. Sed nihil hactenus reſpondit. Interim Dreſdà ad me ſcripſerunt nonnulli idem rogantes. Ac cum futurum ſperem, ut qvini aut ſeni coituri ſint; tui judicii facio, utrum de ea re ad Dn. Lindebrogium perſcribendum aliqvid ſit,

an-

an eâ opera ſuperſedere ſatiùs putes. Et fortean ille Nigrinus aliò jam profectus eſt. De qvo cum optimè tibi conſtare poterit, tuô cumprimis uti conſiliô volo. Neqve dubito, etiam illius negotii aliàs te conſcium eſſe. Cæterum nimioperè vellem gratificari Clariſſimo Viro & cujus amicitiam plurimi facio, qvantumqve fieri poteſt, ſtudium & officium meum ei probare. De Raphelengii Indice plurimum amo te, qvem Norinbergam his diebus ad Generoſum Dn. FRISIUM Sereniſſ. Electoris Legatum permiſi. Sed pleraqve tamen nota vulgataqve ſunt præter Salmaſiana, & qvæ Holſtenius edidit; præterqvam Saluſtium Philoſophum: è qvibus ne fando hactenus qvicqvam accepi. Ad Dn. Horneium, qvod volebas, dedi literas, qvas per idoneum tempus reddes. Cum Calixto familiaritas hactenus non fuit, ut mutuis ſcribendi officiis excoleretur. Sed eas partes Dn. Horneius rogatus à me haud illibenter ſuſcipiet, & ſatis feliciter adminiſtrabit. Dn. hoſpitem tuum perhonorificè mei mentionem qvandoqve facere Wendlerus affirmare conatus eſt. Qvod gratum fuit. Non qvod aliqvid mihi tribuam arrogemqve dignum deprædicatione hominum, ſed qvia plurimum ſemper delectationis habet apud optimos qvosqve & honeſtiſſimos atqve clariſſimos viros bene audire. Qvare meô nomine ipſum ut officioſiſſimè ſalutes, etiam atqve etiam abs te, Hagmeiere, contendo. Sennertus & Oſtermannus te ſalutant. Qvorum alter hodie in Profeſſorum corpus recipitur ſolenniter Dn.

D. Wel-

D. Wellero, ut Ebræas literas publicè deinceps doceat, ſurrogandus. Rerum noſtrarum ſtatus qvi ſit, tædio juxta ſcribere & pudori eſt propè. Sed totam Iliada à Wendlero audies. Spes tamen eſt, per hanc æſtatẽ incrementa aliqva ſumturam Academiam, ſi propria nobis hæc erit qvies, qvâ in præſenti utimur longius paulò diſcedente bello: Qvod utinam ne viciniæ veſtræ impingantur! Qvod reſtat, plurimum abs te, Hagemeyere, peto, ut ſæpius ſcribas ad nos; & qvid ſi hoc æſtivô tempore aliqvando viſas ad nos, uſurus haud aliô hoſpite, qvàm ipſo, qvi te qvam amantiſſimè nunc invitat? Geſtio ſanè amplecti te, geſtio audire ex te, qvæ videris in Belgio & Batavis, qvos tibi amicos paraveris, & ſi qvæ alia ſunt, qvæ jucundum mihi audire, & tibi narrare. Sed nihil opto aut cupido vel peto, niſi qvod tibi cum maximè commodum fuerit. Vale & me ama. Wittenbergæ ad d. xxx. Maji, Anno clↄ Iↄc xl.

P. S.

Superioribus ſeptimanis Sorâ Danorum ad me perſcripſit Lundius noſter; ubi nunc ſatis bene videtur agere Iuveni Nobili præfectus. Scripſit una & Ravius qvoqve, qvi Roſtochio eò demigravit & Geographiam ibi inter Profeſſores Regios docet. Meurſio ibi ſucceſſor nondum datus eſt. Multum me Ravius in illum ſeceſſum invitat. Sed niſi ultima expellat neceſſitas, ego hunc nidulum meum non relinqvam.

XIV.

Eidem

S. P.

PRæſtantiſſime mi Hagmeiere, de miſſô Elſevirianorum librorum catalogô gratias ago; alterum Raphelengianorum impenſè expecto. *Exercitationum* Heinſii grande pretium. Sed ne diutiùs caream, vel defraudare paratus genium ſum, ut tibi, ſi miſeris, ſatisfacere qveam. Ita ingens cupiditas videndi ejus libri animo inceſſit. Noſtræ res tranqvilliores paullò, dum bellum longius abeſt, qvidem ſunt, ſed nihili meliores. Ita indies magis magisq; decedit & perit ſuccus nobis, qvô, ſicut teſtudines, vivere hactenùs oportuit. Nec qvicqvam ſpei bonæ in poſterum apparet: qvam ille Noribergenſis Conventus ſperare jubet. Qvod ſanè, ſi vera ſunt, qvæ nuncii ferunt, jactanturqve de Svecis, perexiguum eſt. Interim, niſi pax fiat, durare non licet; & nobis vel ſuccumbendum penitus, vel novæ qværendæ ſedes & partes. Qvod memor eris, ſi viam aliqvam tibi monſtraverint fata, qvam indicare nobis ad meliorem fortunam tandem qveas. De Maſio nihil hactenus. D. Strauchius obiit diem: poſt D. Carpzovium in inferiorem Luſatiam Groſius abiit, & ſuam ordinibus ſub nomine Syndici operam addixit. D. Wellerus Brunſvicum vocatus eſt ad Paſtoratum: & ſeqvetur brevi vocantes. Qvid Hülſemannus facturus ſit, nondum liqvet. Pleriqve tamen exiſtimant, cum invitatus in Friſiam ſit ad Ephoratum ejus eccleſiæ, tàm pingvem atq; opimam

mam

mam offam dimiſſurum ipſum haud eſſe. Nec conſiſtent exempla, cum ſemel cœperint. Atqve licere adeò ſibi qvisqve exiſtimabit, qvod aliis fructuoſum fuiſſe intelligat. Sed qvid de Academiâ noſtrâ ſic tandem futurum? Nolo dicere; & tute ipſe optimè vides. Fatis agimur, *mi optime Hagmeiere*: Ira divina nos urget, & pœna poſcit publicè provincias iſtas. Nec deprecamur tamen, & deteriores indies penè evadimus. Qvæ deſperata improbitas hominum nihil boni ſinit ſperare. Deus itaqve miſereatur, & iſtos ſaxeos noſtros animos in verè humanos refingat. Qvi tibi & nobis omnibus hunc ineuntem annum feliciter proſpereqve exire faciat. Ita vale & me ama, chariſſimum mihi ſemper caput, mi Hagmeiere. Witteb. ad d. IV, Jan. An. cIↄ Iↄc XL.

XV.

Eidem

S. P.

Diu eſt, *Clariſſime Hagmeiere*, qvod neqve dedi aliqvid ad te, neqve abs te accepi. Demus uterqve utriqve veniam; certi, officium ſcribendi qvidem, non item amorem atqve affectum noſtrum interim ceſſaſſe. Naudæus tandem cum ſociis ſe emerſit in lucem, qvi nunc venit ad te, petitq;, ut abs te comiter admittatur. Qvod eò prolixiùs facies, qvò vehementius nos, qvi mittimus, amas. Sunt penes me aliqvot orationes Cunæi, præcipuè qvas in funeribus Clariſſimorum Virorum habuit; has idem Mevius, qvi Naudæum produxit, edere cogitat; Niſi Leidæ

foret

forte luculentior editio paratur. De qvo ſi conſtat tibi aliqvid, qvæſo, me mone. Si qvid ejusdem auctoris habes, qvod ad hoc comma pertineat, gratiſſimam rem facturum mihi te ſcias, ſi indicaveris, ut ſciam, an inde acceſſio aliqva fieri opuſculo ei poſſit; in qvo & ejus præfationes vulgare junctim animus eſt. Scripſit & Bonaventuræ Vulcanio orationem funebrem; ſed qvam nondum vidi. Qvare ſi ejus per te mihi copia fieri poteſt, face, qvæſo, id ut fiat. Plura nunc non licet; Nam dum ex ædibus meis veteribus in novas commigro, qvas Conſulis Hornii vidua filiæ meæ vicina morti legavit, facilè me malè vacare intelligis. Noſti, qvam moleſta res ſit ſupellectilem transferre, librariam maximè & chartarum. Itaqve & occupatus ſum & tædii plenus. Reverendum Dn. Calixtum atqve Hornejum meo nomine perhonorificè ſalutabis, qvos viros plurimi facio ob eruditionem inſignem & illam minus vulgarem. Vale & me ama, Witteb. ad d. V. Maji, An. cIɔ Iɔc xli.

XVI.

Wittramo, Conſiliario Regio Dan.

nomine Univerſitatis Witteberg.

Magnifice ac nobiliſſime Domine, &c.

NOn ſatis habuit Sereniſſimus ac Potentiſſ. Daniarum ac Norvvegiarum Rex apud Generoſum Dominum Torſtenſonium Svecicarum copiarum præfectum ſummum, pro Academiâ noſtrâ intercedere clementiſſimè; verum ad ipſam Sereniſſimam qvoqve Reginam Sveciæ, uti accepimus, dedit literas, qvibus hanc officinam

...pientiæ, hæc incunabula orthodoxæ religionis, Majeſtati ipſius omnibus modis commendaret. Magna profectò hæc Sereniſſimi Regis pietas eſt: & qvæ ſpem ſola propemodum facere poteſt, futurum inde, ut ex ruinis, qvibuscum colluctata hactenus eſt, emergat ſe iterum Academiæ res, & in tranqvilliorem ac meliorem ſtatum deinceps reſurgat. Nam ſi hoc immortali Regis maximi beneficio levati per Dominum Torſtenſonium ſumus haud parum; qvanto majora & certiora emolumenta nobis in poſterum ab ipſâ Sereniſſimâ Reginâ licebit ſperare? Enim verò qvid non concedet Illa vicini non tantùm & Potentiſſimi qvidem; verum affinitate qvoqve tàm arctâ & cognatione ſibi conjuncti Regis petitioni? Præcipuè ſi ad petentis auctoritatem interpretis virtus dexteritasqve acceſſerit. Qvas partes ex qvo à Sereniſſimi Regis Majeſtate Tibi, Vir Nobiliſſime, delatas cognovimus, tam læta ac proſpera augurari inde atqve promittere cœpimus, qvàm egregia ac ſingularia de incredibilibus Tuis animi juxta atqve ingenii dotibus narrari ac prædicari audieramus. Sed duo cum maximè ſunt, à qvibus Academiæ noſtræ conſervatio inprimis pendet, primò, ſi Sereniſſimo Regi à Sereniſſimâ Reginâ caveatur idonee, in urbem & caſtrum Wittenbergenſe nihil hoſtile unqvam conſultum iri: deinde ſi Præfectura ac ditio tum Wittenbergenſis, tùm Belzigienſis, tanqvam dotales fundi hujus Academici; neqve hoſpitiis militum, nec imperatis pecuniis & commeatu onerentur unqvam, ſed harũ rerum immunes & libe-

liberæ pronuncientur ac habeantur ſemper Nam niſi id fiat, neqve frumenta nobis tuendo communi Studioſorum convictorio; nec pecuniarii reditus procedent, qvæ duo maximè hactenùs & Academiæ & profitentium publicè res ſuſtinuerunt Poſthæc qvamdiu hoſtilia metuenda urbi, tamdiu tenenda illa, ut in præſenti ſatis firmo præſidio eſt. Cæterum ſic comparatæ res ſunt, ut niſi peſſum euntibus civibus ali & conſervari tàm copioſus miles haud qveat. Fieri autem non poteſt, qvin civium everſæ fortunæ ipſius ruinam Academiæ trahant. Neqve verò hæc eà de cauſa adduximus, ut rerum agendarum modum Magnificentiæ T. præſcriberemus; ſed ut intelligat, qvæ ſpatia illa ſint, in qvibus induſtria ejus felicitasqve ſtadium ad immortalem parandam gloriam decurrendum ſibi putare qveat. Age itaqve, Magnifice & Nobiliſſime Domine, ac delegatum auſpiciis regiis negotium non ſuſcipe tantum ſtrenuè, ſed conſice etiam feliciter, ut nobiliſſimâ iſthac acceſſione & Sereniſſimi Regis amplietur gloria, & tuis ipſius laudibus hic de ſervatâ Academia qvoqve titulus accreſcat. Nam qvoties hoc ſummi ac maximi Regis beneficium aut ipſi vehemus ac tollemus laudibus, (qvas imponemus nobis perpetuò partes,) aut decantabit ſera poſteritas; toties & Nobiliſſimi Wittrami memorabitur nomen, qvi non minore felicitate acceptis mandatis functus eſt, qvàm pietate Sereniſſimus Rex dedit. Wittebergæ ad d. 28 Junii, Ao. 1643.

modo,ſodes,acceſſio factus es alienæ litis? Explica,oro, mihi hunc æſtum, & vale. Raptim Wittenb. ad d. XVII. Julii. A. clↄ Iↄcxxxix.

XII.

Joachimo Hagmeiero S. P.

Literæ tuæ, qvibus ad proximas meas reſpondebas, *Hagmeiere Præſtantiſſime*, recte accepi. Ex qvibus cum intellexerim, te Panegyricum noſtrum, qvem Viro incomparabili DAN. SENNERTO diximus, nondum vidiſſe,ejus exemplar nunc mitto. Adjunxi & alia: Ex qvibus intelligeres, Academiæ noſtræ calamitatem & fatum longè luctuoſiſſimum: Qvæ cum diſcentes paucos alat amplius,docentes qvoqve ipſos amittit; ut dejiciantur non modo præclara ſtudia & opprimantur magis ac magis, ſed ipſa qvoqve reſuſcitandorum ſpes in tot Clariſſ. Virorum caſibus extingvatur. De Tangermindenſi negotiô, conſiliô tuô, qvamprimum licuerit, utar. Nam hactenus qvidem non potui. De catalogo Leydenſi plurimum amo te. Interim tamen nimioperè dolet, nos præclarorum operum titulos legere, ipſa non poſſe. *Exercitationum Heinſianarum in Fœdus Novum* ſi duo exemplaria qvam primum curares ad me,alterum pro me, alterum pro Nobiliſſ. Domino Friſio, magnô beneficiô nos tibi obſtringeres Pecuniam hic Hamburgenſi cuidam, cui velles,ſtatim annumeraturus eſſem, qvam in coëmendis illis impendiſſes Valeſii *Ammianum* non vidi. Si tu, aut Dn. Lindebrogius, qvem offi-

officioſiſſimâ ſalute meô nomine impertieris; qvæſo ſignifices, de eo qvid videatur, & qvid præLindebrogii editione peculiare atqve eximium habeat. Ad nos nihil affertur bonorum librorum, & bibliopolæ noſtri alia mercimonia exercent. Itaqve à barbarie proximè abſumus. Sed qvidFabricius, qvid Caſſius, qvid Londius noſtri,aut ubi agunt? Ubicunqve agitent, opto voveoqve,ut benè & memores noſtri! Niſi hoc menſe diſceſſeris, fors erit, ut filius meus natu major te Hamburgi conveniat, & meo nomine ſalutet. Nam qvia ſuppeditandis ſumptibus in ſtudia ampliùs non ſum, in Regis Daníarum aulâ experietur fortunam: Cui ab Electrice noſtra vidua commendabitur; in cujus aulâ jam degit. Huc redit noſtra ſpes, *mi Hagmeiere*, & ſeriò illudPoëtæ uſurpare poſſumus,*Fuimus Troës*; Scis qvæ ſeqvuntur. Vale & me ama: qvi ego te & tuas eximias dotes virtutesqve depereo plane. Wittenb. raptim ad d. V. Octobr. A. cIↄ Iↄc xxxix.

XIII.

Eidem S. P.

S. P.

QVô ſiluiſti diutiùs hactenùs, *Præſtantiſſime mi Hagmeiere*, eô gratiores venerunt tuæ, qvasM. Wendlerus per fratrem ſuum mihi exhibendas curavit. Ipſe enim paulò pôſt, qvam huc veniſſet,profectus eſtDreſdam, prenſaturus Aulicos de impetrandâ Profeſſione Ethices, qvam denuò apud nos vacare contigit, ex qvâ L. Scharffius ad Extraordinariam Profeſſionem

Theo-

Theologiæ aſpiravit. Mirè autem jucundum fuit audire in propinqvô agere te. Ita enim futurum ſpero, ut paullò crebriùs ad me commeent literæ tuæ: qvibus nihil mihi poteſt eſſe acceptius, tùm per ingenuam illam & nihil affectatam elegantiam orationis, qvâ ſolent præſtare; tum qvia plurimùm amo te eas ob cauſas, qvas prædicare aliis ſatius erit, qvàm apud te ipſum commemorare. De Maſio & qvem in Batavis ipſi commendaſti faſciculum, nihil dum potui explorare. Tu in vicinia mane modò, nec deerit, puto, occaſio eò mittendi literas; ac fortean Tangermündani cives in Academia veſtra agunt. per qvos omnia tibi patere poſſunt, qvæ mihi hic occluſiſſima ſunt. Præcipitante hieme anni Clariſſ. Dn- Lindebrogius ſcripſit ad me. Cauſa erat Nigrinus qvidam, civis tuus: qvem, cum mittendus in Academiam eſſet, meis & ædibus & menſa volebat recipi. De ædibus facilè aſſenſi, cum ſatis vacarent: De menſa nihil certi pronunciare habui. Nam cum qvi mecum fuiſſent hactenus, aut demigraſſent jam, aut in procinctu ſtárent mox abituri; minùs commodum videbatur, uni præbere cibum, & eum unctiuſculum qvidem, qvem pro fortuna lautiore hominis expetebat. Significavi tamen, ſi unus & alter ſe ei vellent adjungere, daturum me operam, ut ipſi ſatisfieret. Sed nihil hactenus reſpondit. Interim Dreſdà ad me ſcripſerunt nonnulli idem rogantes. Ac cum futurum ſperem, ut qvini aut ſeni coituri ſint; tui judicii facio, utrum de ea re ad Dn. Lindebrogium perſcribendum aliqvid ſit, an-

an eâ opera ſuperſedere ſatiùs putes. Et fortean ille Nigrinus aliò jam profectus eſt. De qvo cum optimè tibi conſtare poterit, tuô cumprimis uti conſiliô volo. Neqve dubito, etiam illius negotii aliàs te conſcium eſſe. Cæterum nimiopere vellem gratificari Clariſſimo Viro & cujus amicitiam plurimi facio, qvantumqve fieri poteſt, ſtudium & officium meum ei probare. De Raphelengii Indice plurimum amo te, qvem Norinbergam his diebus ad Generoſum Dn. FRISIUM Sereniſſ. Electoris Legatum permiſi. Sed pleraqve tamen nota vulgataqve ſunt præter Salmaſiana, & qvæ Holſtenius edidit; præterqvam Saluſtium Philoſophum: è qvibus ne fando hactenus qvicqvam accepi. Ad Dn. Horneium, qvod volebas, dedi literas, qvas per idoneum tempus reddes. Cum Calixto familiaritas hactenus non fuit, ut mutuis ſcribendi officiis excoleretur. Sed eas partes Dn. Horneius rogatus à me haud illibenter ſuſcipiet, & ſatis feliciter adminiſtrabit. Dn. hoſpitem tuum perhonorificè mei mentionem qvandoqve facere Wendlerus affirmare conatus eſt. Qvod gratum fuit. Non qvod aliqvid mihi tribuam arrogemqve dignum deprædicatione hominum, ſed qvia plurimum ſemper delectationis habet apud optimos qvosqve & honeſtiſſimos atqve clariſſimos viros bene audire. Qvare meô nomine ipſum ut officioſiſſimè ſalutes, etiam atqve etiam abs te, Hagmeiere, contendo. Sennertus & Oſtermannus te ſalutant. Qvorum alter hodie in Profeſſorum corpus recipitur ſolenniter Dn.

D. Wel-

D. Wellero, ut Ebræas literas publicè deinceps doceat, ſurrogandus. Rerum noſtrarum ſtatus qvi ſit, tædio juxta ſcribere & pudori eſt propè. Sed totam Iliada à Wendlero audies. Spes tamen eſt, per hanc æſtatẽ incrementa aliqva ſumturam Academiam, ſi propria nobis hæc erit qvies, qvâ in præſenti utimur longius paulò diſcedente bello: Qvod utinam ne viciniæ veſtræ impingantur! Qvod reſtat, plurimum abs te, Hagemeyere, peto, ut ſæpius ſcribas ad nos; & qvid ſi hoc æſtivô tempore aliqvando viſas ad nos, uſurus haud aliô hoſpite, qvàm ipſo, qvi te qvam amantiſſimè nunc invitat? Geſtio ſanè amplecti te, geſtio audire ex te, qvæ videris in Belgio & Batavis, qvos tibi amicos paraveris, & ſi qvæ alia ſunt, qvæ jucundum mihi audire, & tibi narrare. Sed nihil opto aut cupido vel peto, niſi qvod tibi cum maximè commodum fuerit. Vale & me ama. Wittenbergæ ad d. xxx. Maji, Anno cIɔ Iɔc xl.

P. S.

Superioribus ſeptimanis Sorâ Danorum ad me perſcripſit Lundius noſter; ubi nunc ſatis bene videtur agere Iuveni Nobili præfectus. Scripſit una & Ravius qvoqve, qvi Roſtochio eò demigravit & Geographiam ibi inter Profeſſores Regios docet. Meurſio ibi ſucceſſor nondum datus eſt. Multum me Ravius in illum ſeceſſum invitat. Sed niſi ultima expellat neceſſitas, ego hunc nidulum meum non relinqvam.

XIV.

XIV.

Eidem

S. P.

P*Ræſtantiſſime mi Hagmeiere*, de miſſô Elſevirianorum librorum catalogô gratias ago; alterum Raphelengianorum impenſè expecto. *Exercitationum* Heinſii grande pretium. Sed ne diutiùs caream, vel defraudare paratus genium ſum, ut tibi, ſi miſeris, ſatisfacere qveam. Ita ingens cupiditas videndi ejus libri animo inceſſit. Noſtræ res tranqvilliores paullò, dum bellum longius abeſt, qvidem ſunt, ſed nihili meliores. Ita indies magis magisq; decedit & perit ſuccus nobis, qvô, ſicut teſtudines, vivere hactenùs oportuit. Nec qvicqvam ſpei bonæ in poſterum apparet: qvam ille Noribergenſis Conventus ſperare jubet. Qvod ſanè, ſi vera ſunt, qvæ nuncii ferunt, jactanturqve de Svecis, perexiguum eſt. Interim niſi pax fiat, durare non licet; & nobis vel ſuccumbendum penitus, vel novæ qværendæ ſedes & partes. Qvod memor eris, ſi viam aliqvam tibi monſtraverint fata, qvam indicare nobis ad meliorem fortunam tandem qveas. De Maſio nihil hactenus. D. Strauchius obiit diem: poſt D. Carpzovium in inferiorem Luſatiam Groſius abiit, & ſuam ordinibus ſub nomine Syndici operam addixit. D. Wellerus Brunſvicum vocatus eſt ad Paſtoratum: & ſeqvetur brevi vocantes. Qvid Hülſemannus facturus ſit, nondum liqvet. Pleriqve tamen exiſtimant, cum invitatus in Friſiam ſit ad Ephoratum ejus eccleſiæ, tàm pingvem atq; opimam

mam

nam offam dimiſſurum ipſum haud eſſe. Nec conſiſtent exempla, cum ſemel cœperint. Atqve licere adeò ſibi qvisqve exiſtimabit, qvod aliis fructuoſum fuiſſe intelligat. Sed qvid de Academiâ noſtrâ ſic tandem futurum? Nolo dicere; & tute ipſe optimè vides. Fatis agimur, *mi optime Hagmeiere*: Ira divina nos urget, & pœna poſcit publicè provincias iſtas. Nec deprecamur tamen, & deteriores indies penè evadimus. Qvæ deſperata improbitas hominum nihil boni ſinit ſperare. Deus itaqve miſereatur, & iſtos ſaxeos noſtros animos in verè humanos refingat. Qvi tibi & nobis omnibus hunc ineuntem annum feliciter proſpereqve exire faciat. Ita vale & me ama, chariſſimum mihi ſemper caput, mi Hagmeiere. Witteb. ad d. IV. Jan. An. clↃ IↃC XL.

XV.

Eidem

S. P.

DIu eſt, *Clariſſime Hagmeiere*, qvod neqve dedi aliqvid ad te, neqve abs te accepi. Demus uterqve utriqve veniam; certi, officium ſcribendi qvidem, non item amorem atqve affectum noſtrum interim ceſſaſſe. Naudæus tandem cum ſociis ſe emerſit in lucem, qvi nunc venit ad te, petitq́; ut abs te comiter admittatur. Qvod eò prolixiùs facies, qvò vehementius nos, qvi mittimus, amas. Sunt penes me aliqvot orationes Cunæi, præcipuè qvas in funeribus Clariſſimorum Virorum habuit; has idem Mevius, qvi Naudæum produxit, edere cogitat; Niſi Leidæ

forer

forte luculentior editio paratur. De qvo ſi conſtat tibi aliqvid, qvæſo, me mone. Si qvid ejusdem auctoris habes, qvod ad hoc comma pertineat, gratiſſimam rem facturum mihi te ſcias, ſi indicaveris, ut ſciam, an inde acceſſio aliqva fieri opuſculo ei poſſit; in qvo & ejus præfationes vulgare junctim animus eſt. Scripſit & Bonaventuræ Vulcanio orationem funebrem; ſed qvam nondum vidi. Qvare ſi ejus per te mihi copia fieri poteſt, face, qvæſo, id ut fiat. Plura nunc non licet; Nam dum ex ædibus meis veteribus in novas commigro, qvas Conſulis Hornii vidua filiæ meæ vicina morti legavit, facilè me malè vacare intelligis. Noſti, qvam moleſta res ſit ſupellectilem transferre, librariam maximè & chartarum. Itaqve & occupatus ſum & tædii plenus. Reverendum Dn. Calixtum atqve Hornejum meo nomine perhonorificè ſalutabis, qvos viros plurimi facio ob eruditionem inſignem & illam minus vulgarem. Vale & me ama. Witteb. ad d. V. Maji, An. cIↃ IↃc XLI.

XVI.

Wittramo, Conſiliario Regio Dan.

nomine Univerſitatis Witteberg.

Magnifice ac nobiliſſime Domine, &c.

NOn ſatis habuit Sereniſſimus ac Potentiſſ. Daniarum ac Norvvegiarum Rex apud Generoſum Dominum Torſtenſonium Svecicarum copiarum præfectum ſummum, pro Academiâ noſtrâ intercedere clementiſſimè; verum ad ipſam Sereniſſimam qvoqve Reginam Sveciæ, uti accepimus, dedit literas, qvibus hanc officinam

liberæ pronuncientur ac habeantur ſemper Nam niſi id fiat, neqve frumenta nobis tuendo communi Studioſorum convictorio; nec pecuniarii reditus procedent, qvæ duo maximè hactenus & Academiæ & profitentium publicè res ſuſtinuerunt Poſthæc qvamdiu hoſtilia metuenda urbi, tamdiu tenenda illa, ut in præſenti ſatis firmo præſidio eſt. Cæterum ſic comparatæ res ſunt, ut niſi peſſum euntibus civibus ali & conſervari tàm copioſus miles haud qveat. Fieri autem non poteſt, qvin civium everſæ fortunæ ipſius ruinam Academiæ trahant. Neqve verò hæc eâ de cauſa adduximus, ut rerum agendarum modum Magnificentiæ T. præſcriberemus; ſed ut intelligat, qvæ ſpatia illa ſint, in qvibus induſtria ejus felicitasqve ſtadium ad immortalem parandam gloriam decurrendum ſibi putare qveat. Age itaqve, Magnifice & Nobiliſſime Domine, ac delegatum auſpiciis regiis negotium non ſuſcipe tantum ſtrenuè, ſed confice etiam feliciter, ut nobiliſſimâ iſthac acceſſione & Sereniſſimi Regis amplietur gloria, & tuis ipſius laudibus hic de ſervatâ Academia qvoqve titulus accreſcat. Nam qvoties hoc ſummi ac maximi Regis beneficium aut ipſi vehemus ac tollemus laudibus, (qvas imponemus nobis perpetuò partes,) aut decantabit ſera poſteritas; toties & Nobiliſſimi Wittrami memorabitur nomen, qvi non minore felicitate acceptis mandatis functus eſt, qvàm pietate Sereniſſimus Rex dedit. Wittebergæ ad d. 28 Junii, Ao. 1643.

XVII.

Nobiliſſimo Viro Rudolpho *à Brand de Lindau*

P. S.

VEhementer gaviſus ſum, *Nobiliſſime Rudolphe*, cùm tuas non ita pridem accepiſſem, qvod intelligerem,te tibi qvaſi,id eſt, ſtudiis reconciliatum ac redditum eſſe. Qvid enim aliud,qvàm à temet ipſo exulare hactenus videbare, cùm aliis potius rebus,qvàm,qvæ cœpiſti nobiliter, ſtudiis dares ætatem? Qvod ſanè, ut ſimpliciter tecum agam,magno dolori fuit. Timebam enim, ne planè in nihilum reciderent illæ ſpes, qvas ingentes de te non ipſe tantùm, ſed alii plures mecum ceperant. Qvanqvam id non tàm tibi,qvàm ſeculi noſtri iniqvitati imputandum videbam, qvacum non ſemel tuâ cauſa graviter ſanè expoſtulavi. Sed reſpexit utrumqve DEUS: & tuum erit, uti gratâ manu bonitate ejus, atqve in id incumbere ſeriò, qvod tibi agendum reſtat, & tutemet ipſe tibi jam olim nobiliſſimo animi propoſito impoſuiſti. Materiam oratiunculæ, qvam volebas, hic habes, & iſthanc operam noſtram boni conſule. Qva ſi impoſterum etiam uti voles,dubitare non debes, eam tibi ſemper paratam fore. Qvare audacter adi, poſce,flagita. Nihil mihi magis curæ erit, qvam tuis conſulere rationibus, qvantum in manu noſtra poſitum eſt. Vale & Dn. M. Ludecum, niſi grave, ſaluta. Raptiſſimè ad d. 12. Julii, 1643.

XVIII.

Ad Regem Daniæ nomine
Univerſitatis Witteb.

Sereniſſ. ac Potentiſſime
REX.

AD Auguſtum Thronum tuum Academia Wittenbergenſis ſe ſiſtit ſupplex, & venerata Sceptri geminiMajeſtatem, Tibi, qvàm demiſiſſime poteſt,gratias agit,qvod apud Sereniſſimam Sveciæ Reginam Patronus, ut maximus, ſic efficaciſſimus ei adſtiteris, ſecuritatemqve ac velut pacem aliqvam inter media armorum negotia qvàm feliciſſimè impetraris. Maximum iſtud, hoc & ejusmodi beneficium eſt, qvod non niſi regias laudes & tuam, PIISSIME PRINCIPUM, naturam decere poteſt. Cui, qvod alii Reges doctrinis ac inſtitutioni debeat,proprium inſitumq;eſt,& ſuis conſulere fortiter,& aliorum ſaluti,qvantum poteſt; Qvæ TE, ut inter rerum culminaAUGUSTISSIMUM,ſic inter ipſos univerſim homines DIVINUM reddet. Neqve enim fruſtrà Auguſtus Cæſar dicebat; *Pietate atqve Juſtitiâ Principes Deos fieri*: Et inter hos ipſos Amphitryonis filium retulêre veteres, non qvia Thebis ſuis tantùm, ſed univerſo orbi ſalutaris extiterat.Qvid eſt*Juſtitia*,qvàm qvod commune eſt, atqve ad univerſos pertinet bonum? Qvid *Pietas*, qvàm qvæ de omnibus, ſummi illius ac pientiſſimi Numinis inſtar, meretur bene? Nec unqvam ita deſciſcas à Te, *Sereniſſime REX*, ut minus aliis, qvàm Danis Norvegiſqve

tuis (licet his maximè) Juſtus Piusqve eſſe cupias. Academiæ noſtræ imprimis, qvam matrem Religionis, matrem Artium Literarumqve communem nunqvam non proſeqvi, nunqvam non ejus juvare ac promovere commoda inter præcipuos Gloriæ Tuæ titulos pones. Interim qvod unum nunc poſſumus, Majeſtati Tuæ, DOMINE, reddimus gratias, daturi impoſterum ſtrenuè ſemper operam, ut beneficiorum tuorum memoria perpetua nobis ſit ac immortalis. Servet Te Deus, *Evergeta Maxime*, Te Deus, *Rex* POTENTISSIME ac BENIGNISSIME, ut diutiſſimè imperes, ut feliciſſimè imperes, ut Excellentiſſimæ Domus Tuæ Perennitas perennem felicitatem Daniæ Norvegiæq; Tuæ præſtet, omnes petimus, omnes oramus: Tum ut Conſiliorum Tuorum ſapientia, fide, conſtantia ac felicitate oppreſſa armis, & tantum non penitus exanimata Patria qvamprimum vitam ac ſpiritum recipiat, TEqve Herculem novum & ſuum deinceps ſalutet, colat, veneretur, triſtiſſimis bellorum monſtris liberatus Chriſtianus Orbis. Wittebergæ IV. Nonas Octobr. Anno M. DC. XLIII.

XIX.

N. N.

Generoſe, Magnifice ac Summe Vir,
Domine & Patrone reverenter atqve demiſſe ſemper colende,

VIderi audacior poteram, qvi inopinatâ & nihil ſolitâ hactenus ſcriptione negotia tua interpellem. Sed non tam id facio, qvia frontem

poſui,

poſui, qvam bonitatis tuæ fiduciâ mirificè fretus. Qvam non tam aliorum relationibus, qvam rebus ipſis cognovi coram, cum ante hos qvinqve annos Dreſdæ inter ſolennia nuptiarum principalium in ædibus Magnifici Domini Cancellarii conceſſum fuit exoptatiſſimam dextram tuam honoris oſculo venerari. Qvo tempore cum honeſtiſſimâ comitate convivium illud celebraris haud tantum, ſed in me qvoqve benevoli ac faventiſſimi animi plura ac luculenta edideris ſigna, facilem mihi apud Te, *Nobiliſſime Domine*, ſcriptionis hujus paratam veniam fore non ſpero magis, qvàm planè confido. In eâ cauſâ præcipuè, qvæ per ſe digna favore omni exiſtimata ſemper eſt. Egit aliqvammultos annos in Academia noſtra, & mea familiâ JOHANNES BITTELICUS FRANCUS, & ita egit, ut cauſis juſtiſſimis eum ſummopere complexus ſim. Valet ingeniô, qvod optimis literis excultum dedit; diligenti & ſtudioſo animo eſt: pius præterea, ſobrius, modeſtusqve ac frugi: qvas laudes elegantiâ morum mirificè auget. Qvi ad majora & altiora contendens, cum uberioribus ſubſidiis opus habeat, eaq; cum deſint, ab Illuſtriſſimo Principe ſuo impetrare contendat ſupplex, abs Te, Nobiliſſime Domine, vehementer atqve demiſſè petoqve ac rogo, ut Juveni optimo beneficâ tuâ ope, in qva præſidium maximum ſibi locatum habet, prolixè adſis, atqve efficias adeò, qvod potes certè, ut conſeqvatur largiter, qvod deſiderare ac petere, cum fortunæ iniqvitas, tum ſtudiorum ac patriæ amor

ipſum coëgit. Cujus utilitati ac commodo id planè cedet, qvod per hoc liberalitatis pulcherrimum genus ad eruditionem ipſius accedat. Tibi verò, Generoſe Vir, qvàm honorificum erit ſervaſſe juvenem, & ſalutarem in eo patriæ dediſſe civem. Qvanqvam & me devinctum licet jamdudum illuſtri nomini tuo, magis magisqve tibi obligabis: ut qvi in me ipſum interpretabor collatum, qvodcunqve in illum beneficii contuleris. Reſtat precari ac petere, ut Te viciſſim Deus omnibus optimis rebus honoreqve ac gloria perpetuo augeat. Tuqve in poſterum favere digneris, qvi &c Witteb. d. XXIX. Oct. An. cIↄ Iↄc XLIII.

XX.

Illuſtri ac Summo Viro Dan. Heinſio *Eqviti, &c.*

S. P.

Illuſtris ac Summe Vir, qvàm affectu & benevolentia tua in me, qvam & ſuperioribus, & proximis literis abunde teſtatus es, triumphare ſoleo, tam mihi ſolicitè navanda eſt opera, ut qvibuscunqve modis tueri pergam. Qvod in præſenti cum alia ratione vix liceat, qvàm ſcriptione; toties ea utendum erit, qvoties ſe occaſio offert, & tibi haud videbitur grave, legere noſtra. Qvare cum nobilitatis primariæ Juvenis, RUDOLPHUS BRAND DE LINDAU, abitum pararet ad vos, daturus Academiæ veſtræ clariſſimæ egrægium civem, nec ſine noſtris dimitti debuit, & qvia de ſinu ac complexu noſtro proficiſcitur, commendandus tibi maxime fuit.

Eſt

Eſt ille acri & magna & erudita indole, ac nobili impetu ad eas graſſatur artes, qvas ſuo loco ac deſtinationi congruere animadvertit, imprimis, aulæ & Reip. natus. Qvarum cum haud temerè alibi certiora oracula, qvàm in Lugduno veſtra, reddi ſoleant, & tu in illis Apollines ipſos ac Phœbos præſtes; age, Maxime Heinſi, & qvod Schneidero noſtro præſtitiſti ubertim, Brandio qvoqve noſtro indulge, eumqve conſiliis præceptisqve tuis ſapientiſſimis ita finge ac forma, ut eum tandem reddas nobis, qvalem vovemus maximè, & ipſa patria expectat, qvæ feſſa, ſaucia, vexataqve peſſime, non niſi ab illis ſalutarem opem ſperare poteſt, qvi ſapientiæ virtutisqve doctrina, non inutili ſcientia animum, probè Inſtruxerunt. Magnificum eſt decoram obligare indolem: & qvantam gloriam affert ſi de Germania noſtra inſtitutis tuis & diſciplina, in Brandio qvoqve noſtro, præclarè voles mereri? Auctumno proximo Notas in Plinium Cæcilium emiſimus: ſed extemporaneas planè, ut typographo ſcilicet gratiam eam faceremus. Qvare cum neqve ab ſe ulla dote commendabiles ſint & poſthæc non modò deſcriptæ in ſordidiore charta, ſed plurimis etiam locis mendoſè ſatis; in tuum conſpectum producendæ non erant. Qvanqvam qvæ junximus, nec elegantiora, nec meliora deprehendes & itaqve meritò inæqvalitatem noſtram ridebis. Sed hi bellorum fructus ſunt, qvi neqve in literis, nec ingeniis, nec artificiis ipſis qvoqve, lepidum qvicqvam ac venuſtum manere ſinunt. Sed ut hæc

aliaqve

aliaqve nobis adimat tempus noſtrum duriſſimum, non tui ſtudium tamen & maximarum virtutum tuarum ac dotium admirationem ac cultum unqvam domet. Wittenberg. Prid. Id. Mart. A. cIↄ Iↄc xliv.

XXI.

Nobiliſſimo atqve Ampliſſimo VIRO
Johanni Georgio Styrzelio
Conſuli Rotenburgico
S. P.

Ampliſſime Vir,

NOn ſemel hactenus, cum fuit occaſio, Excellentiſſ. Collega, Marcus Panzerus Med. D. & P. P. mentionem fecit de te, qvamqve amanter de nobis & honorifice ſentias, cum cura me monuit. Qvod cum Clariſſimus qvoq; Rauſcherus feciſſet poſtea, nec me per alios etiam fugeret, qvàm prono atqve benevolo animo in Muſas literasqve eſſe ſoleas, ipſo omnibus inſtructus cedi tandem, ut vides, idqve ignoſces, ſcribendi impetum, & turpe exiſtimavi, affectionem animi erga talem ac tantum, & niſi hoc improbum dicere, tam mei amantem virum, amplius diſſimulare. Videbatur qvidem dignitas tua & ipſa adeo res, poſtulare à me, ut hoc officio paulo majore operâ ſtudioqve defungerer: Sed qvia ſeriùs aliqvanto de occaſione mittendi, & ſub id tempus demum conſtitit, cum tabellarius in procinctu eſſet; factum eſt, ut potius exiſtimarem, hoc qvicqvid tumultuariâ operâ exarare ad te, qvàm diutius ſilere. Et tu ſinceriora putare poteris, qvæ non cura ac meditatio, ſed ipſa affe-

affectus vis nobis expreſſit. Qvare ſic perſvade tibi, Vir nobiliſſime, ut de amore ac benevolentiâ tuâ & lætor impenſe,& vehementer mihi gratulor; ita deinceps me nihil antiqvius habiturum aut prius,qvàm eo cultu tot dotes tuas egregias ingentesqve virtutes ut complectar ac venerer, qvo illum decet,qvi procul livore ac malignitate æſtimare noverit, qvæ pulchra honeſtaqve ſunt,&vicem ingenuam reddere ſciat tam candidè & ſine fuco amanti. Vale. Wittenberg. X, Kalend Jan. An. cIↃ IↃC XLIV.

XXII.

Conrado Victori Schneidero,

Medicinæ Doct. & Prof. Publ. Sal.

DIſſertaturi in gratiam tuam, *CLARISS.* ac *EXCELLENTISSIME VIR*, de Galeni narratione, cùm *lib. X. de uſu partium*,nunc ſomnij monitu,nunc Dæmonis, mox Dei juſſu, tractationem de *nervis viſoriis & viſione* ſuſcepiſſe ſe ſcribit,præſcribemus nobis certas qvasdam lineas ac fines,intra qvas univerſa oratio ordine decurrat. Oſtendemus itaqve primò idem Galeno eſſe,*ſomnio*, & DEI *Dæmonisve juſſis impelli*. Deinde unum atqve eundem ſignificari, à qvo præceptum iſtud acceperit, qvamvis diverſis vocabulis, nunc *Deum,* modò *Dæmona* appellet. Poſtremò totum negotium ad qvemvis Dæmona, qvi præſit ſomniis, tum ad familiarem Galeni, referri poſſe. De his cum dixero, finem faciam. Statuit Plato, ſecutus Pythagoram, qvo maximè in naturali Philoſophia duce utitur, nullam partem mundi ſuis & propriis ani-

animantibus vacare. Itaqve cum docuiſſet, ſummam illam atqve cœleſtem partem (Deos) ſidera; inferiorem iſtam terreſtremqve homines & infinitas alias beſtias, ſortitos eſſe; mediam atqve aërem ejusmodi poteſtatibus habitari prodit, qvæ inter Deos & homines, ut regionis loco ac ſitu, ita & mentis ingenio interſitæ, & utriusqve naturæ participes eſſent: Summis qvidem Diis minores, cæterum humanâ naturâ majores atqve præſtantiores. Qva de cauſa & Medioxumos Deos appellavit Plautus: Ipſe autem Plato, atqve Pythagoras proprio vocabulo Δαίμονας nuncuparunt. Qvi illi ipſi ſunt, qvos Latini freqventer *Genios*, ſæpè & *Lares* vocare ſolent Hos Apulejus (*De Deo Socratis p. 88.*) definit *animalia ingenio rationabilia, animo paſſiva, corpore aëria, tempore æterna.* Chalcidius plenius in Timæum Platonis, (*pag. 227.*) DÆMON *eſt*, inqvit, *animal rationabile, immortale, patibile, æthereum, diligentiam hominibus impertiens.* Nam qvod poſtremo loco ponit, *diligentiam hominibus impertiens,* in qvo officium ſeu munus ipſum Geniorum, & finis, qvo conditi ſint à rerum opifice, exprimitur, alter omiſit. Qvanqvam neqve Chalcidius totum expreſſit. Neqve enim hominum tantum, ſed & Deorum cauſſa hoc genus creatum à Principe Deo, Plato ſentiebat. Apulejus *Lib. 1. de Platonis dogmate:* DÆMONES *vero*, inqvit, GENIOS & LARES *poſſumus nuncupare miniſtros Deorum, ut arbitratur* (Plato, puta) *cuſtodesqve hominum atqve interpretes, ſi qvid à Diis velint.* Maximus

musTyrius de Platonis ſecta Philoſophꝰ *Diſſertatione XXVI.* eleganter, ut ſolet: Εἰσὶ δ' αὐτῷ (τῷ θεῷ) Δύσεις ἀθάνατοι, οἱ καλούμενοι ἀθάνατοι δεύτεροι, ἐν μεθορίῳ γῆς καὶ οὐρανοῦ τεταγμένοι. Θεοῦ μὲν ἀσθενέστεροι, ἀνθρώπου δὲ ἰσχυρότεροι. Θεῶν μὲν ὑπηρέται, ἀνθρώπων δὲ ἐπιστάται. Θεῶν μὲν πλησιαίτατοι, ἀνθρώπων δὲ ἐπιμελέστατοι. *Ergo immortales qvasdam habet potentias (DEUS) qvas ſecundos Deos vocant, in medio terra cœliqve conſtitutos. Hi minus potentes ſunt qvam Dii, magis qvam homines. Deorum miniſtri, hominum præſides, Diis proximi, hominum diligentiſſimi curatores.* Qvare non tantum in tutelam hominum ac curam conditos Dæmonas, ſed in Deorum qvoqve miniſterium Plato voluit. Qvanqvam & ante Heſiodus ζηνὸς πρόπολους, *Jovis miniſtros* appellavit. Qvæ ut Ægyptii ab Hebræis acceperant, ita ab illis poſtea hauſit Pythagoras, cum ipſo vocabulo Angelorum, & ad Platonis deniqve tranſtulit Scholam. Nam Pythagoræis juxta atqve Ægyptiis in uſu fuiſſe vocem *Angeli*, cum de hoc medio genere loqverentur, poſt alios Hierocles, *in Aurea carmina Pythagora*, itemqve Arnobius *lib. 1. adverſus Gentes* teſtari poſſunt. Porro non unius generis, ut obſervat Chalcidius, ſomnia ſtatuit Plato: atqve Macrobius *lib. 1. in Somnium Scipionis Cap. III.* qvinqve recenſet. Qvorum alia ſignificent aliqvid, præcipiantqve ac doceant, alia nihil horum faciant, ludibria mera ſpeciesqve inanes. Ac iſta qvidē intra nos gigni pro habitu animi corporisve illa autem à Deo immitti ac gubernari, iidem Platonici ſentiebant: qvippe qvi ſolus novit omnia,

futu-

futuraqve ſicut præſentia intuetur ac videt. Qva de cauſa hoc genus Somniorum θεόπεμπτον Artemidorus appellitat, & ita non ſemel apud Homerum θεῖος ὄνειρος legitur. Sed cum iidem eſſent perſvaſi, non fore ex ſummi ac Supremi Numinis majeſtate, ad terrena delabi, & circa effictionem ſomniorum hujusmodi occupatum eſſe; idcircò Dæmonum, ſeu Geniorum opera ac miniſterio ad illud uti prodiderunt: eâqve de cauſa inter alias partes, qvibus officium eorum deſcripſerunt ac munus, hanc ſomniorum qvoqve diſpenſationem poſuerunt. In qvam rem illuſtris locus Apuleji eſt, de *Deo Socratis* (*Pag.* 82. & 83) ſed prolixior, & ibi potius legendus. Brevius in *libro de mundo* exeqvitur rem: Qvare nil impedit, qvo minus ipſa auctoris verba afferamus. Ita igitur ſcribit: *Qvod ſi cui viro vel cuilibet regi indecorum eſt, per ſemet ipſum procurare omnia atqve perficere; multò magis Deo inconveniens erit. Qvare ſic putandum eſt, cum maximè majeſtatem retinere, ſi ipſe in loco reſideat altiſſimo: eas autem poteſtates per omnes partes mundi orbisqve diſpenſet, qvæ ſint penes Solem ac Lunam, cunctumqve cælum. Harum enim cura ſalutem terrenorum omnium gubernat.* Qvæ omnia ex Platonis mente prolata eſſe, Alcinous evincit *Introduct. in Platonicam doctrinam c. XV.* qvem diſertiſſimis verbis ſenſiſſe tradit, univerſitatis rerum qvidem ſummum illum ac principem, Deum curam agere, partes verò a filiis, hoc eſt; Dæmonibus adminiſtrari: qvi ad Parentis imperium atq; exemplum gubernent ac dirigant omnia, qvæ

ad

ad ipſarum ſalutem ac converſationem pertineant: qvæ inter nocturnos etiam viſus & ſomnia oraculaqve, tum omnis generis divinationes refert. Etſi verò ſomnia illa omnia, qvæ de futuris monerent,& tribus generibus deſcribantur,qvorum alia *ὄνειροι*, alia *ὁράματα*, alia *χρηματισμοὶ* appellabantur, immitti à Deo,ſeu qvia mererentur homines,ut Ammianus Marcellinus loqvitur,ſeu qvia affectione illorum tangeretur Deus,exiſtimabantur, adDæmonas iſtos, qvorum opera ac miniſterio uteretur DEUS, referri ſolebant; cum maximè tamen *τοὺς χρηματισμοὺς* eò interpretabantur. Qvippe qvod tum ſecundum qvietem Deos ipſos, ſeu Dæmonas, modò ſub ſua,modo ſub aliena perſona, viderentur videre. Nam *χρηματισμὸν* ſive oraculum eſſe ſcribitMacrobius, *cum in ſomnis parens vel alia ſancta,gravisqve perſona,ſeu Sacerdos, vel etiam Deus aperte eventurum qvid,aut mox eventurum faciendum vitandumve denunciat.* Cæterum cum *ὄνειρος* ſive ſomnium propriè ſit, qvod tegit figuris & velat ambagibus non niſi interpretatione intelligendam ſignificationem rei, qvæ demonſtratur; *ὅραμα* ſive viſio autem, cum id qvis videt, qvod eodem modo, qvo apparuerat, eveniet; facile conſtat,Galeni ſomnium ad nullum aliud genus, qvam *χρηματισμοὺς* pertinere. Nam & taxata in eo negligentia, qva facienda omiſerat; & demonſtratum id fuit, qvod facere deberet. Perſonæ qvidem, qvæ partibus illis functa ſit,hic nulla fit mentio; qvæcunqve tamen illa apparuit ſpecies, ſive virilis ſeu muliebris,

eaqve vel nota vel ignota, ea certe ſic comparata fuit, ut Δαίμονα ſive Genium aliqvem fuiſſe certam duceret conjecturam. *Qvare ADMONERI SOMNIO*, & *JUBERI à DEO* ſeu *DÆMONE*, Galeno eſt idem. Tum qvia imaginem iſtiusmodi haud ſibi venire potuiſſe absqve Deo ſeu Dæmone; tum qvia ſub ſomnii ejus, ut ita dicam, nebula, locutum ſibi Dæmona aliqvem, qvocunqve habitu tandem ac forma fuerit, exiſtimaret. Nam alia aliaqve figura in ſomniis apparebant Genii: Nunc Deorum, nunc Sacerdotum; aliqvando & Principum: ſæpe Parentum, vel Præceptorum, aut aliorum, qvi noti ſomniantibus, & alicujus dignationis eſſent. Talibus enim habenda cùm maximè fides; de qvo & Artemidorus *lib. II. ὀνειροκριτικῶν cap. LXXIV.* obſervat. Habentur qvoqve exempla cum ſub ignoto vultu, & qvaſi ſuo vel proprio, viſi ſint, diverſâ ætate & ſexu. Qvod pueri, ſenes; viri, fœminæ, hoc eſt, omnia eſſent, de qvo inferius non nihil dicemus. In Cebetis tabula ſenili facie repræſentatur Genius. Neqve immeritò: qvippe qvos primos omnium creaſſe Deus exiſtimabatur. De Juvenili tamen, ſive hæc maſculum, ſive fœminam referret, freqventiora teſtimonia exſtant: ut qvaſi propria videatur fuiſſe; ſed ſic decore & magnitudine ſupra humanam. Tacitus *IV. Hiſtoriarum C. LXXXIII. Ægyptiorum Antiſtites memorant, Ptolemæo Regi, qvi Macedonum primus Ægypti opes firmavit, cum Alexandria recens condita mœnia, templaq; ac religiones adderet, oblatū per qvietem*

tem decore eximio, & majore, qvàm humana ſpecie juvenem, qvi moneret &c. Phædrus *lib. V. Fab.* LXXXII. de Simonide Geniorum operâ à caſu tecti ſervato exponens,

Repente, inqvit, *cum duo Iuvenes ſparſi pulvere,*
Sudore multo defluentes corpora,
Humanam ſupra formam &c.

ValeriusMaximus *l. 1. c. VII. Hauſit enim Annibal propoſito & votis ſuis convenientem imaginem, exiſtimavitqve miſſum ſibi ab Iove mortali ſpecie excelſiorem Iuvenem invadendæ Italiæ Ducem.* DioniCaſſio ſcribendæHiſtoriæ partesDeam qvandã, hoc eſt, muliebrem ſpeciem divinâ formâ impoſuiſſe, ipſe teſtis eſt *lib. LXXIII. Hiſtor. extremo.* Hujusmodi igitur ſpecies cũ apparere Galeno, præcipiens, ut de *viſoriis nervis* ſcriberet, exiſtimavit, Dei ſeuDæmonis fuiſſe juſſum: & qvia in ſomnis acciderat, idcircò *ſomnio*, & *Dei juſſu impelli*, ipſi, ut ſupra monebamus, eſt idem. Hæc de primo Nunc demonſtrandum alterum eſt, non alium aliumqve, ſed unum atqve eundem intelligendum, qvi præceperit Galeno de nervis viſoriis ſcribere, licet nunc *Dæmona*, nunc *Deum* appellet; cum de uno atqve eodem ſomnio utrobiqve intelligat. Qvamvis enim Pythagoras juxtà & Plato, & qvi ſecuti eos ſunt, inter Deos & Dæmonas diſcrimen ſtatuant, & hos mediæ cujusdam inter Deos ac homines conditionis & illis, ut diximus, minores, iſtis autem majores, pronuncient; uſu tamen obtinuit, ut ſummum illud ſupremumqve Numen haud tantum, qvem Principem atqve auctorem rerum, commu-

nemqve Parentem celebrabant; Sed qvicqvid etiam divinitate aliqva cenſeretur, Dei appellationem caperet; adeò, ut & humanæ animæ, cum liberata corporis vinculis eſt, tribueretur. Et inde factum, ut alii majores, alii minores, & qvaſi ſecundarii Dii dicerentur. Dæmones ſcilicet, qvos ipſos ἀθανάτȣς δευ]έρȣς Maximus Tyrius, *Diſſert. XXVI.* nominavit. Nam cum ἀθανάτȣς vocat, θεȣ̀ς intelligit. Hos enim Heſiodi more abſolute ἀθανάτȣς vocat. Multa in hanc rem exempla proferre liceret: Sed unius Senecæ loco contenti erimus, qvi huc mirificè facit. *Unicuiqve*, inqvit, *noſtrum Pædagogum dari Deum* (Genium intelligit, ut ipſe mox explicat) *non qvidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ,* ex eorum numero, *qvos Ovidius ait DE PLEBE DEOS*, (*Patellarios Deos* vocavit jculariter Plautus.) *Ita tamen hos ſeponas velim, ut memineris, majores noſtros, qvi crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe: Singulis enim & GENIUM & JUNONEM dederunt.* Qvare eundem per Deum Dæmonaqve, qvem vocat, intellexit Galenus: qvemadmodum & Dio ſpeciem illam, qvæ ipſi per qvietem apparuit, modo δαιμόνιον, modo θεὸν, hoc eſt, *Deam*, appellavit. Nunc, qvæ reliqva ſunt, abſolvemus. Reſtat autem, de ipſo illo Dæmone dicere, à qvo ſcribendi mandatum Galenus accepit, utrumne ille *familiaris Genius* (ſic Ammianus appellat numen illud, qvod cuiqve naſcenti in tutelam & curam dari credebatur) an qvidam alius de genere iſthoc intelligendus? Dio Caſſius, cujus paulò ante mentionem

tionem fecimus, Deam illam, qvam per qvietem videre viſus, & præcipientem audire de Hiſtoria condenda, familiarem Genium, hoc eſt, cuſtodem ſuum ac Ducem fuiſſe putat. Ita enim ſcribit: τὸν δὲ δὴ θεὸν ταύτην ἐπιῤῥωννύουσάν με πρὸς τὴν ἱστορίαν, εὐλαβῶς πρὸς αὐτὴν καὶ ὀκνηρῶς διακείμενον πονούμενον ἀπαγορεύοντά τε ἀνακτωμένην δι' ὀνειράτων καὶ καλὰς ἐλπίδας περὶ τοῦ μέλλοντος χρόνου διδοῦσάν μοι, ὡς ὑπολειψόμενος τὴν ἱστορίαν καὶ οὐδαμῶς ἀμαυρώσαντος ἐπίσκοπον τῆς τοῦ βίου διαγωγῆς, ὡς ἔοικεν, εἴληχα, καὶ διὰ τοῦτο αὐτῇ ἀνάκειμαι. *Nam cùm ego gravatè hanc confectionem Hiſtoriæ reciperem, omninoq; labori cedens eam recuſarem, hæc Dea me confirmavit in ſomnis, ſpemq; bonam de tempore ſecuturo fecit, veluti, qvod ſuperſtitem hiſtoriam meam relicturum, minimeq; aboliturum eſſet. Qvam ego Deam vitæ meæ, ut puto, ſortitus ſum inſpectricem, eique me propterea conſecravi.*

Qvamvis autem ut Dii, ſic etiam Dæmones diverſi ſexus haberentur apud Veteres; obtinuit tamen, ut crederentur Viri ſub Geniis, hoc eſt, virilium Dæmoniorum curâ agere; mulieres verò ſub Junonibus (nam ita appellabant hujusmodi numina, qvæ fœminarum tutelam ſuſcepiſſent.) Qvod non modo allegatus ſupra Senecæ locus clarè docet; Sed ex Petronio qvoqve ac aliis probari poteſt. Pertinet huc illud Virgilii in IV. *Ecloga* ipſo fine: In qvo interpretando mire torſerunt ſe Critici veteres juxtà ac novi.

--- *qvi non riſere parentes,*
Nec Deus huc menſâ, Dea nec dignata cubili.

Hoc enim vult Poëta Princeps, eos, qvi recens editi in lucem non ad parentes riſerint (nam *ridere Parentes*, eſt *ad parentes ridere*, ut Catullus loqvitur) irato atqve adverſo genio natos, atqve idcirco per omnem vitam triſtes atqve difficiles, moroſosqve atqve ἀγελάςȣς fore. Nam *Deus*, Genius eſt, qvi præeſt maſculis; *Dea*, Juno, qvæ fœminas curat. Mirum itaqve videri poterat, cur præſtantiſſimus Scriptor contra communem opinionem tutelam ſui, non DEO ſeu Genio Maſculo; ſed Deæ, muliebri videlicet Dæmoni traditam autumare potuerit. An, qvod non tam diverſi ſexus Deos & Dæmonas ſtatueret, qvàm ſexum utrumqve in qvemvis illorum cadere exiſtimaret? Ego verò ita puto, & ita perſvaſi fuerunt non modo Platonici; ſed antiqviſſimi etiam Philoſophi, ut Orpheus, Hermes; qvod Lactantius obſervat *lib. 14. Divinarum Inſtitut. c. VIII.* De Orpheo teſtatur & verſus ejus apud Apulejum *libro de Mundo*, qvo Jupiter & mas & fœmina pronunciatur. Ita enim habet;

Ζεὺς ἄρσην γένετο, ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη

Iupiter & mas eſt, eſt idem Nympha perennis.

Ita vertit Apulejus; rotundius alii:

Iupiter & mas eſt, & fœmina Iupiter idem.

Avianus *Aratrorum principio*, Platonicorum opiniones de Deo qvaſi ex profeſſo digerens:

- - iſte colorem
Impoſuit rebus ſexuqve immiſtus utroqve
Atqve ævi pariter gemini, ſimul omnia luſtrans,
Suffecit alterno res ſemine.

Et

Et indè Valentiniani, non magis Chriſtiani qvod videri volebant, qvàm Platonici, Aeonas ſuos, & Chriſtum ipſum adeo utriusqve ſexus, ut apud Cyrillum *Catecheſi VI. Illuminatorum*, & Epiphanium legimus, ſtatuebant. Proprium familiaris Genii, qvalem cuiqve aſſignari à DEO, pauciſſimis verò videri atqve agnoſci, qvod Socrati & Pythagoræ contigit, exiſtimabant, putarunt, eum, cui datus cuſtos rectorqve eſſet, tum in ſomnis, tum ſignis, de faciendis omittendiſvè docere & commonefacere: Qvâ de cauſſâ & Seneca PÆDAGOGUM; Menander apud Clementem Alexandrinum *l. 5. Stromat.* μυςαγωγὸν τοῦ βίου appellavit. Qvare, ut Dio ſomnium ſuum, qvô juſſus erat Hiſtoriam condere, ad illum ipſum ἐπίσκοπον ſuum retulit; ita & hoc Plutarchi ſomnium ad eundem haud abſurdè referri poſſe videbatur. Nam illud ipſum arguit partim, partim præcepit & monuit, qvid faciendum, qvæ propriæ, ut dixi, putabantur hujusmodi tutelarium Dæmonum partes. Qvamvis enim nihil auctor noſter definiat, atqve in genere, Δαίμονά τινα, Θεόν τινα dicat; poteſt tamen hoc ipſum de illo intelligi genere, qvod curam cujusqve ac tutelam agere credebatur. Locusqve erat pronomini, licèt vel maximè ἐπεξήγησιν iſtiusmodi ſubjeciſſet, perinde, ac Ammianus fecit, cum *lib. XXI. de Conſtantio* ſcriberet: *Putabatur Genius qvidam, tutela ſalutis appoſitus, eum reliqviſſe.* Nam cum multi putarentur ejusdem generis, *qvidam* dixit: Qvemadmodum & Galeni interpretari licebit verba.

Qvamqvam & Dæmona τινὰ dixiſſe potuit, illos reſpiciens, qvorum proprium munus, ſomnia curare. Nam cum innumeri Genii eſſent, illi tamen in certas claſſes deſcripti qvaſi, & unicuiqve earum ſua tributa provincia erat, qvâ fungeretur. Itaqve alii conformandis ſomniis, alii extis auguriisve dirigendis, alii aliis rebus credebantur præeſſe. Nam cum naturam hominis imbecilliorem ſtatuerent, qvàm ſine Deorum ope ut qvicqvam poſſit efficere; idcirco artibus ſingulis ac diſciplinis certos præpoſuerunt Genios, qvi inſtruerent ac adjuvarent; qvi vellent in iis operam ponere: nec qvicqvam in illis præſtari à qvoqvam eximii atqve præcellens ſine eorum ſtudio atqve auxilio exiſtimabant. Qvo Martialis reſpexit, cum ait:

Victurus Genium debet habere liber.

Item Horatius in illo vulgato;

Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ.

Nam *invitâ Minervâ*, eſt invitô ſive averſô Geniô. Qvod nihil procedere exiſtimarent, qvod adverſante atqve iniqvô Geniô ſuſciperetur. Poteſt qvoqve Galenus Δαίμονά τινα dixiſſe, qvod eſſet incertus, ad qvodnam genus referre deberet illam ſpeciem, qvæ ipſi in ſomnis viſa erat: an eum, cui ſua ipſius cura cuſtodiaqve commiſſa eſſet, an alium qvemvis, & eos cumprimis, qvorum operâ in figurandis ſomniis ac viſionibus Dii uti ſolerent? Explicavimus, qvæ ad dicendum fuerunt propoſita. Sed qvoniam multò tardiùs ſolvimus, qvam debemus, idcirco ad ſortem uſura qvoqve accedere debet.

Non

Non ſemel Galenus remediorum meminit, qvæ accepiſſet in ſomnis, atqve ab Æſculapio maximè, qvi Medicinæ præſes cum Apolline patre credebatur. Sed aliis qvoqve, non medentibus qvidem, ut illi, ſed ægrotantibus id accidiſſe, paſſim legimus, teſtaturqve tabula marmorea Romæ, qvæ olim in templo in Inſulâ Tiberinâ ſtetiſſe putatur, deſcriptaqve apud Gruterum legi poteſt in operoſiſſimo Inſcriptionum Veterum Opere *pag.* 71. item Ariſtides in *ſermonibus ſacris*. Qvanqvam & à Serapide aliisqve Diis, ut Plutone & Baccho, ſi in delubris eorum incubaretur, impetratas ſæpius medicinas fuiſſe, Cicerone, Svetonio, Strabone, Pauſania in aperto eſt. Et non veretur affirmare Jamblichus de *Myſteriis libro*, eo capite, qvo de *ſomniis* diſputat, ipſam artem medendi ex ſomniis conditam & inſtitutam. Qvare mirum non eſt, Galenum plurimum tribuiſſe ſomniis, eaqve obſervanda diligenter, non ſine reprehenſione eorum, qvi contemtum irent, præcepiſſe, qvod ex II. *Commentar. in librum Hippocratis de humoribus*, ſatis patet. Illud nonnemo mirari poſſit, qvi factum, ut tantus ſomniorum patronus, taxare Empiricos ex eo ſuſtinuerit maximè, qvod medicinam facientes ad ſomnia ſua perpetuo provocent, ac inde cumprimis ſibi præſidium petant. Sed non tam reprehendit eos, qvod attenderent ſomniis, qvam diſciplinam & inqviſitionem naturæ qvod omitterent planè, & nulla ratione ac arte curas ægrotorum exercerent. Ratus, ſola ſomnia non facere Medicum, ſed arte atqve ſcientia qvoqve oportere

eſſe inſtructum; qvæ cauſas morborum affectionesqve perſpectas haberet, & rerum, ex qvibus ὕλη ἰατρικὴ conſtat, cognitione inſtructa eſſet: Itaqve vel ſomnia ipſa, qvæ falſa ſæpius venire contingeret, dijudicare peritè atqve diſcernere poſſet. Et eò videtur pertinere, qvod ſupra laudato Comment. II. *libr. Hippocratis de humoribus* præcipit, *diligenter inſpicienda ſomnia eſſe, ut & qvalia in ſomnis videantur, & qvid in eis fiat, intelligas, qvo tum præſagire in poſterum, tum verò medicinam rectè facere perdiſcas.* Locus, ex qvo hæc diſputandi nata nobis occaſio eſt, libro de *Theriacâ* ad *Piſonem* extat & iſte eſt: *Non ita nos medicinarũ notitiam aſſeqvimur, qvemadmodum qvi ſe Empiricos ab ſolâ experientiâ cognominant. Illi enim omiſſâ diſciplinâ, qvæ rerum naturam inveſtigat, qvoties oblatos ægrotos nullâ ratione curant, turpiter profitentur, ſe remedia partim ab ſomnis, partim à fortunâ ſuſcipere &c.* Non turpe putat admittere ſomnia, qvod ipſe conſveverat; ſed ſine ratione admittere, ſine ratione ac arte curare, qvod faciebant Empirici, hoc turpe putat, & qvi id facit, titulum Medici nondum mereri. Tantum eſt. Scripſi Wittenbergæ. Prid. Non. Jun. cIↄ Iↄc XLIV.

XXIII.

Andreæ Rivino, Med. D. ac Prof. Publ. S. P.

QVod venuſtiſſimo Poëtæ veteris Carmini, cùm ederes nuper tuis eruditiſſimis notis emendatum non modò, ſed illuſtratum qvoqve pleniſſimè, meum etiam nomen præſcribere volue-

lueris, de eo, Excellentiſſime Rivine, multum me tibi, & tantum debere libenter fateor, qvantum exſolvere vix unqvam poſſum. Qvapropter officii mei fuerat, ut ſine ullà interjectà morà reſcriberem: ne ſegniorem ac frigidiorem in reddendo affectu argueres, cui tam prolixè favere ſtudereqve videbaris. Sed qvod nunc demum id facio, ex eo accidit, qvod ſuperioribus diebus, cum eſſet mittendi occaſio, in ruſculô meô colligendæ meſſis gratià abfui, gracilis ejus qvidem, & qvæ nihil rumperet horrea acervis ingentibus, colligendæ condendæqve tamen in qvalemcunqve anni atqve familiæ uſum. Qvod ſi ignoſcere nobis induces animum, benigne ac perhumaniter feceris: ſin ſuccenſendum exiſtimabis, qvod patremfamiliàs magis, qvàm bonum amicum egerim, jure id qvidem poteris, ſed ita facies tamen, ut placiturum deinceps ſperes, qvem emendare permiſeris culpam. Sed manum tam delicatæ elegantiæ Carmini qvòd admoviſti, Rivine Clariſſime, qvô ore & qvibus verbis tibi gratias agant, qvi poſt ſeveriores Muſas amœnitatibus iſtis qvandoqve ſibi attendendum putant? Præclarè qvidem de eô hactenus meriti ſunt eruditi non pauci, & ſummi in illis principesqve ſeculi noſtri Viri; ſed ea tibi felicitas cùm à fortunâ, tum ab ingeniô tuô induſtriâqve ſoli contigit, ut & inventis illorum uti poſſes, & ipſe addere, qvicqvid deerat ad ultimam ſummam. Qvare cum alii in partibus tantùm de lepidiſſimo poëmatiô benè meriti ſint, tu univerſitati ejus ſic conſuluiſti, ut vix reſtare qvicqvam

qvam arbitrer, qvod aliorum diligentia adhuc conferendum habeat. Qva ex re qvo tu majorem laudem ac gloriam conſecutus es, eò me magis ad omne referendæ gratiæ genus obſtrictum devinctumqve tibi eſſe intelligo, qvi hos labores tuos pulcherrimos tùm Excellentiſſimo Domino MULLERO, tum mihi qvoqve inſcribendos præ aliis, qvibus, ſi me reſpexeris, rectius poteras, exiſtimaſti. Te qvidem ob excellentem variamqve doctrinam eruditi omnes jamdudum jure qvôdam plurimi æſtimant: me literarum paucarum hominem tanti abs te fieri, ut fatear, qvod res eſt, nunqvam putâſſem. Qvare de inſigni iſtô affectu ac benevolentiâ tuâ erga me ut lætor ſummoperè ac mihi gratulor; ſic ſedulo ſemper navabo operam, ut tibi, qvam dignam maximè potero, reddam vicem, nec qvicqvam officii ſtudiiqve intermittam unqvam, qvô me & hujus honoris, qvô me ornâſti, & partium qvoq; mearum memorem bene oſtendam ac probem. Pro reliqvis munuſculis, iisqve exqviſitiſſimis, *Pervigiliô Medicô*, inqvam, & *Cœnâ dubiâ Cypriani*, ſive *Maturi* potius, ſingulares tibi agoqve & habeo gratias. Et nunc in fine epiſtolæ abs te ſummopere contendo ac peto, ut *Scholiaſten Perſii*, &, qvæ promittis, reliqva matures edere, magisqve ac magis obligare literas pariter, & vindicare contra duriſſimi ſeculi vecordiam ac faſtum. Vale, Clariſſime ac Excellentiſſime Vir, meqve ſtudioſiſſimum tui complecti perge. Wittenbergæ IIX. Cal. Sextil. Anno cIɔ Iɔcxliv.

XXIV. No-

XXIV.

Nobiliſſimo atqve Ampliſſimo Viro,

Johanni Georgio Styrcelio,

Conſuli Rotenburgico,

S. P.

QVàm me obſtrinxeris tibi & obligâris, AMPLISSIME VIR, dum humaniſſimè non tantum ad meas reſpondes; ſed elegantiſſimis Epigrammatis etiam honori noſtro velificaris, breviter & tralatitiè dici non poteſt. Quantum enim eſt, à Viro tantæ dignitatis, tantæ exiſtimationis & nominis apud doctos plerosqve amari non tantum, ſed honorari? Sed iſtud argumentum nunc non premam, neqve enim in iſta feſtinatione id ſatis licet. Id tantum diſſimulandum non eſt, me hac mirifica comitate tuâ delectari & duci ſingulariter: ac fore mihi deinceps diligenter curæ, ne qvid in te officii, ſtudii honorisqve omittere videar, cum id virtute tua nobiliter merearis. Pro lediſſimis tuis verſibus habe hæc inficeta noſtra interim; & cogita duritiem temporum ſuam ingeniis qvoqve afflare labem. Qvæ utinam exoptata pax maturè exhilaret atqve, ut ita dicam, rurſus emolliat. Hæc ſola nempe eſt, qvæ & literis cultum & calamitatibus noſtris ſpem, & meliorem fortunam reddere patriæ poteſt. Ab eruditiſſimo Bœclero ad unas & alteras meas nihil accepi reſponſi hactenus. Sed Rauſcheri noſtri ſvaviſſimi literas in dies propemodum ſingulos expecto. Benè ſit tam eruditis tam candidis animis. Bene etiam Tibi, STYRCELI-

LI Ampliſſime. Præcipue ſi amare me perges deditiſſimum tibi tuarumqve virtutum cultui, & feſtinatæ huic ac inornatæ ſcriptioni ignoſces. Wittenbergæ, pridie Kal. Mart. cIↃ IↃc xLv.

XXV.

G. F.

S. P.

MAgna mihi cum Patre tuo, Ornatiſſime F. non tantum notitia, cum viveret, ſed amicitia etiam fuit. Qvare non poſſum non aliqvam curam tui agere, ſollicitusqve eſſe pro te, maximè autem, ex qvo cœpiſti abeſſe. Qvamvis enim ea indole natus ſit, qvæ recti honeſtiqve amans imprimis ac ſtudioſa; itaqve te comparaveris hactenùs, ut ſingularem de te nobis omnibus citaveris ſpem; tamen cum præcipitia Adoleſcentiæ nondum effugeris atqve in eà parte ætatis agas, qvæ per ſe lubricitatis plurimum habet, neqve optimæ Matri nec mihi etiam ſatis ſecuris ac tutis eſſe licet. Magna exemplorum, magna conſvetudinis vis eſt; & ſæpè à converſantibus ſumuntur mores, qvi ab ingeniô noſtrô aliàs abhorrent planè. Qvo fieri ſolet, ut deteſtata anteà vitia, poſtremò obrepant ſæpius: & qvicqvid prius omiſſum fuerat, tandem ametur. Qvare etiam atqve etiam te hortor, F. ut in deligendis iis, qvorum amicitia & conſvetudine utaris, magnam cautionem adhibeas, nec qvenqvam tibi ſectandum putes, niſi qvi probus & frugi ſit, poſſeſſionemqve virtutis atqve doctrinæ omnibus aliis rebus priorem & antiqviorem habeat. Neqve enim eà de cauſà hinc diſceſſi-

ſti

ſti,ut indulgeres genio, ludisqve ac jocis oblectares ætatem; ſed eruditione ac literis, ut magis magisqve locupletares animum, & ad exemplum optimi cujusqve inſtrueres vitam atqve componeres. Atqve ad conſeqvendas has res cum neqve ingenium (qvod docile perqvàm & ſatis felix nactus es) nec facultates aliæ deſint; qvid poteſt reſtare, qvàm ut in eam curam ac ſtudium omni mentis contentione deinceps incumbas? Nam niſi feceris, qvid reſpondebis DEO opifici, qvi tantis naturæ te exornavit bonis? Qvid patris optimi manibus, qvi eam imprimis de te conceperat ſpem, ut ea veſtigia laudis legeres, qvæ ipſe impreſſiſſet olim? Qvid Matri pientiſſimæ deniqve, qvæ parum habet, ſuum defraudare genium, qvò ſuppeditare ſumptus poſſit, qvibus & tua, & fratrum ſtudia ſuſtineantur. Sint, qvod ille ajebat, radices ſtudiorum amaræ, modo dulciſſimis eorum fructibus non excidamus. Nec gravabit ingenium ac bene natum animum labor, qvi laudem, qvi gloriam & alia maxima & immortalia præmia promittit. Huc itaqve contende, huc omni animi niſu aſpira; planeqve habe perſvaſum, nihil virtute ac probitate, nihil doctrinâ ac ſapientiâ majus, melius, diviniusqve in rebus exſtare humanis. Has eſſe ejusmodi res, qvibus amœnitates omnes & voluptates poſtponendæ longè ſint; qvæqve nos ſolæ in parte Divinitatis ponere qveant. Nam cætera omnia, qvæ parant ſibi ac poſſident homines, caduca, fugacia, peritura ſunt: ingenii animiqve divitiæ neqve obnoxiæ caſibus ſunt,

& ſolæ perennant. Hæc ideò in præſenti ad te, mi ornatiſſime F. perſcribere volui, non qvod deſiderem aliqvid in moribus tuis, ſed qvia magno amori maximus ſemper metus junctus eſt. Vale Wittenbergæ ad d. 6. Octob. 1645.

XXVI.

Johanni Georgio Ketten S. P.

Præſtantiſſime ac Politiſſime Ketti.

COncinnè tuas ad me perſcriptas, abhinc octiduum per noſtrum Holzmannum rectè accepi, qvæ me non parum tenuerunt, qvippe cum te qvoqve præſtantia ingenii propediem tollet, ac adjuvabit. Nimirum, in juventute, cum maximè vacat, exemplô tuô, Styli adſveſcere & inſervire oportet puritati, ut cum olim abſtraxerint nos ab his Studiis influentia ſubinde negotia, & ex publicis partibus ſtatæ occupationes, decorè nihilominus & emaculatè ſcribere poſſimus. Cæterum, te cauſam meam apud ÆrariumElectorale ſponte ac ſedulò egiſſe, ſatis intellexi; pro qvo ego, qvod illicò tibi reponam, in promptu non habeo. Interim tuo, qvod dediſti, conſilio morem geſſi, qvare has tuis junctas ad ampliſſimum Dn. Albhardum, cum commodum erit, perferendas curabis; Etenim, qvicqvid impetro, illius beneficio imputavero. Abs te autem, mi Ketti, cum ſupra alios prolixe humanus, etiam atqve etiam adhuc peto, ut, qvamdiu Dreſdæ tibi commorandum, amplius & feliciter neceſſitati meæ adſis atqve faveas. Et nihil omninò de ſolutione turbatorum hujus-

modi

modi cenſuum dubito, cum à Generoſo Dn. Werthero non ita pridem altior ſpes affulſit, omnia ad frugem noſtram proceſſura. Nudius tertius hoſpes tuus D. Coſelius redux factus eſt, & te ſalvere jubet, juxta ac nonnullos pro qvotidiano ſumptu ut afferas Imperiales vel nummos novos Dreſdenſes, qvos à te ex permutatione accipere cupit, monet rogatqve. Jam qvod voluiſti Carmen in obitum beati Parentis, teſtando amori, puſillum licet, comiter tamen excipe. Vale & ſoſpes redi. Raptiſſimè Wittenbergæ, d. XVIII. Auguſti, Anno M. DC. LI.

Ut Secreta DEI, Jam-non-mortalis adiret
KETTIUS, & Cœli rutilas ſe inferret in arces,
Migravit Secreta Ducis, totoqve theatro
Exceſſit moriens, peritura fabula vita
Qvo calet, & varias exercet lubrica partes.
Felix in terris qvi non inglorius egit,
Et degreſſus humo, Cœlum tenet, hic ubi nullis
Intercepta malis æterno gaudia plauſu
Fervent, ſolanturqve pios, recreantqve fovendo
Svaviter, immenſæqve aſpirant Lucis honores.

XXVII.
Joachimo Meiſnero
S. P.

Clariſſime ac Eruditiſſime Vir,

PRoximis nundinis noſtris cuidam pellioni veſtrati literas cum librorum Indicibus, qvos miſeras antè, perferendas tradidi ad te. Qvæ etſi rectè curata confido; tamen qvia nihil re-

ſponſi accepi hactenus, expreſſa mihi harum qvoqve neceſſitas eſt. Namqve cum Nobiliſſimus Dn. à FRISEN his proximis diebus ſcripſerit ad me ſignificaritqve, nimiopere cupere ſcire, ecqvid de iis libris elaturus ſis, qvos de Catalogo tuo exſcripſerat, & proximè ego miſi ad te, priusqvam ſibi abeundum ad Comitia ſit, qvo deſtinatus Legatus Princeps, de ea re certiorem te facere volui. Peto itaqve abs te, Clariſſime Vir, etiam atqve etiam, ut prima qvaqve occaſione ad me reſcribas, de libris iis qvid videatur. Noſti Summates viros valde velle qvæ volunt: & moræ impatientes qvàm maximè eſſe. Et ego nolim tantum Patronum literarum qviddam ſecius de alterutro noſtrum exiſtimare. Qvare rumpe moras; ſed noſti cætera. Ita ex ſententia animi age perpetuò & optimè vale, meqve perge amare. Raptim Wittebergæ ad VI. Decembr. An. cIↃIↃCLI.

XXVIII.

Nepoti ſuo.

OCcupationibus meis tribues, Nepos ſvaviſſime, qvod neqve reſpondi hactenus, nec egi gratias tibi pro miſſò carmine, qvô Onomaſteria mea ornare proximè voluiſti. Sumere enim ſæpius volui eas partes, ſed id agenti ſupervenit aliqvid, qvod interciperet deſtinata, & velut extorqveret calamum manibus. Id autem te minimè latere cupio, ſperqvam mihi officium tuum fuiſſe gratum, & ipſum carmen qvoq; non diſplicuiſſe. Arguit illud ingenium non ineptum ad hoc Muſæ genus; tum lectionem aliqvã optimo-

morum Poëtarum. Hortor itaqve, qvantum poteſt, ut deinceps qvoqve hoc premas ſtudium, inqve optimis literis, earumqve culturâ hanc ætatem occupes, ratus, qvo majores profectus in literarum feceris ſtudiô, eò feliciùs olim in Theologia, aut aliô ſapientiæ genete te proceſſurum. Sed ordo, ſed delectus habendus: neqve tàm multa qvàm optima & multum legere oportet. Niſi conficias dentibus cibum, parum alimenti conferet, integer enim transmittetur: ita niſi premas auctores eorumqve lectioni inhæreas & immoreris, nunqvam in ſuccum vertes & ſangvinem. Non ſemel tantùm, ſed iterum iterumqve legendi ſunt: nec ſingulæ voces & phraſes tantùm excutiendæ diligenter, obſervandæq; ac annotandæ, ſed & integræ orationis qvoqve ſtructura & ſingulorum membrorũ compoſitio diligenter conſideranda tenendaqve eſt, ut regulam qvandam & normam habeas, ad qvam componas tua & exigas. Hoc imitari, hoc cum utilitate legere eſt bonos auctores. Illud autem diligenter te moneo, ut pleroſqve qvos legis auctores, Latinos qvidem germanicè, Græcos vero latinè ut reddas. Ita enim & in auctoribus ipſis nihil inexcuſſum relinqves nec intellectum ſatis; & plurimum id ad comparandum utriusqve lingvæ uſum & facultatem conferet. Qvid proprium ſibi qvæqve lingva ac peculiare habeat, id nunqvam melius, qvam ex hoc genere exercitationis poti poteſt, ſi ſingula verba latina iisdem Germanicis exprimeres, ineptus fueris. Aliter enim Latinus, aliter Germanus de unâ eâdemq;

re loqvitur. Exempli gratia, apud Terentium legis, *aut eqvos alere, aut canes ad venandum.* Hic *ſi eqvos alere*, convertere velis, Pferde nähren/redderes qvidem ſignificationem verbi *alere*, ſed à Germanica loqvendi ratione & conſvetudine propria recederes; Germani dicunt non, ein Pferd nähren/ſed, ein Pferd halten. Itaqve cum ex Latinô interpretamur aliqvid, ſemper ad uſum & proprietatem lingvæ reſpiciendum eſt, non latina vocabula tantum & verba, qvid notent aut ſignificent, conſideranda. Ad auctores qvod attinet, ſcribis ad patrem, te alieniore animo à Cicerone eſſe; magis te in Muretum inclinare. Erras, mi Joh. Chriſtophore, & veram viam non inſiſtis. Condonandus tamen hic error ætati tuæ eſt, qvæ qvid ſanum maximè optimumq; ſit, nondum poteſt diſpicere. Dicis, Muretum tibi magis placere, qvam Tullium, mira res: cum tamen Muretus maximam partem Ciceronianam compoſitionem oratione ſuâ exprimat, illiqve valdè ſimilis ſit: qvam ob cauſam & approbo ſtudium, qvod in eô ponis: nam inter recentes auctores nemo caſtigatius & minus affectatè Latinô ſermone uſus eſt. Itaqve hunc familiariſſimum tibi reddes. Sed qvoniam per Ciceronem magnus Muretus eſt, qvidni & eum amare, legere, imò relegere etiam velis? Qvem ipſi Latini etiam, imò Romani, optimum omnium dicendi magiſtrum habuerunt. In eo præcipuè nunc commendo tibi dialogos *de amicitia* & *ſenectute:* item *de officiis* libros, tum orationes pro *Archia, Marcello, Ligario, Dejotaro*, tum qvas in *Catili-*

nam

nam ſcripſit. Ex illis enim puram illam & incontaminatam Latini ſermonis facilitatem & elegantiam hauries: qvæ fundamentum ſinceri ſtyli ac incorrupti eſt. Qvo etiam faciet Terentii, Plauti, Nepotis & Cæſaris aſſidua lectio, unde omnis laſcivia orationis atqve inanis granditas abeſt. Perſium qvod ediſcere velis, cauſa non eſt. Ne legere qvidem te eum velim, nunc qvidem & ea de cauſa, ut phraſin hinc petas. Qvid? an Satyras ſcribes? at ejus dictio ut tota Satyrica, ita non niſi in eo carminis genere locum habet. Qvid tibi Perſius conferet, ſi de nuptiis, de novis honoribus gratulandum ſit? ſi laudes Patroni decantandæ, ſi deplorandus cujusdam obitus, aut celebranda nativitas eſt? neqve ad inventionem ille qvicqvam hic, neqve ad elocutionem faciet. Sepone igitur atqve hanc operam loca Virgilio, Horatio, Ovidio, ex qvorum numero nec excludendus Claudianus eſt, diſertiſſimi oris ſvaviſſimiqve Poëta. Ex cujus carminibus plurimum ſanè ad omne ſcriptionis atq; materiæ genus proficies. Hunc igitur in ſinu, in oculis, qvin animô potius atqve memoriâ ferre memineris, & qvantum potes, ad ejus rationem te penitùs fingere. Habes, qvæ de ratione ſtudii in præſenti atqve in feſtinatione ſumma illinere chartis licuit, qvæ ſi ſervaveris, nec ludes operam, & multum ad veram & incorruptam eloqventiã proficies. Vos adoleſcentuli plerumqve habetis optima & præſtantiſſima, qvæ verba corrupta ſunt; magnificaqve & grandia, qvæ turgent inaniter, tum pulchra venuſtaqve, qvæ

fucis illita turpitudinem ſuam diſſimulant. Qvæ temeraria ratio ne tibi fraudi eſſet, cavere hic volui. Ægrè enim extirpabis, qvæ vitia ſemel inolita fuerint. Et verè dixit Poëta:

A teneris aſſveſcere multum eſt.

Pro miſſô carmine en tibi aureum nummum ſimulqve exemplar *diſſertationum mearum*, qvas diligenter ſi triveris, non mediocriter, ni fallor, locupletaveris latinæ eruditionis inſtrumentum. Et qvoniam liber compingi non potuit, anteqvam mitteretur ad te, habes & hic, unde ſumtus tibi in compactionem conſtare poſſit. Qvod reſtat, ego te, dilectiſſime Nepos, iterum iterumq; hortor, ætate uti velis, & nullum tempus dimittere, qvod eruditioni tuæ aliqvid conferat. Jam illi anni tibi eunt, qvibus ingenium memoriaqve maximè valet. Perdendi itaqve non ſunt, ſed illud ſubinde recogitandũ: μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Et tamen ad illud qvoqve reſpiciendum: σπεῦδε βραδέως. Non enim tam properandum qvam nunqvam ceſſandum eſt. Præcipuè pietatem cole, Deumqve & precibus aſſiduis & puritate vitæ ac innocentiâ tibi conciliandum exiſtima. Illi demum procedunt proſperè ac feliciter omnia, qvi eum in partes ſuas traxerit atqve amicum habeat, & bene ille monuit:

Dii multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſa.

Item alius:

Peritura Troja perdidit primum Deos.

Hoc cogitabis aſſiduè & nihil magis deteſtandum ac fugiendum tibi ſtatues, qvam negligen-

tiam

tiam Numinis ac impietatem. Vale & me ama. Witteb. ad d. XXI. Jan. A. cIↃ IↃC LII. qvem tibi fauſtum felicemqve ex omni parte ominorqve ac precor.

XXIX.

Joachimo Meiſnero

S. P.

CLariſſime ac præſtantiſſime Vir, Domine & amice plurimum honorande, multum te amat Nobiliſſimus Dn. à Friſen, & agit tibi prolixè gratias, qvod Bibliothecæ tuæ Catalogum in ejus potiſſimum gratiam conficere haud tantum; ſed & communicare cum eo volueris, ſimulqve adjicere Unruhianæ hæreditatis Rationarium, in qvo & rei librariæ Index continetur. Neqve non dabit diligenter operam, ut ſi qva in re tuis inſervire commodis poterit, id & libenter & prolixè faciat. Nunc tibi remitto utrumqve volumen. Et qvoniam ex tuâ librariâ copiâ idem ille Nobiliſſ. Vir ſelegit excerpſitqve libros nonnullos, qvos, ſi non nolis, ære ſuo redimere cupiat, eorum indiculum mitto unà, & abs te peto ſummoperè, ut ejus vota ne deſtituas primò: deinde ſingulis ut aſſcribas pretium, qvo veneant; cæterum indiculum ipſum ad me remittas. Conficietur, in qvam convenerit, ſumma præſente pecunia, bona fide, qvod ſpondeo; & nihil non ille ſummus maximusqve vir aget ac faciet, qvod ad honorem ac utilitates tuas videbitur facere. Ita omnino tibi perſvade, & me perge amare. Wittenbergæ raptim ad d. XX, Octobr. Anno cIↃ IↃC LII.

XXX.

M. Johanni Vogelhaupt
S. P.

PRæſtantiſſime Dne. Vogelhaupti, binas tuas accepi hactenus. Qvod nondum reſpondi, per negotia factum, qvibus obruor plane. Et ita fit, ut brevior ſim; qvàm volebam. Sed neceſſitati parendum eſt. Ad petitionem tuam qvod eſt, rem factam habebis, ſpero. Pro erudito carmine ſingulares ago gratias. Ut referam olim, operam dabo. Nam valde in eo me obligaviſti. De Raviano negotio ita habe: Me non improbare ejus inſtitutum, qvòd rationes, qvas adducit, ab optimis Magiſtris veterum petitas videam & rerum naturæ mire reſpondere. Sed ampla hæc qvæſtio, nec hujus temporis. Literæ ad filium in Poloniam, qvas non ita pridem ad te permiſi, qvàm commodè curatæ ſint ſcire aveo; Hoc qvoqve velim doceri abs te, qvo ſumtu opus ſit, ut per ordinarios curſores, ſive per poſtam, ut vocant, meæ Regiomontum perferantur. Nam ibi hominem reperi, cui hæc provincia omnium optime committi qveat. Qvæſo itaqve me de eo qvam primum ut facias certiorem. *Fama* hic eſt, Dn. L. Pomario denuo negotium fieri ab aulâ. An verè, & hoc qvæſo perſcribe, & Ampliſſ. hoſpitem tuum meo nomine officioſe ſaluta. Wittenbergæ, raptim ad d. VIII. Maji An. CIↃ IↃC LIV.

XXXI. M.

XXXI.

M. Johanni Vogelhaupt
S. P.

EX proximis tuis intellexi, Dn. Ravium nondum rediiſſe; atqve de reditu ejus nihil ſatis certò conſtare. Miror ſanè. Qvippe qvi eâ in re nec ſibi, ut ego opinor, conſulit, nec illi, qvod agit, negotio. Sed meum non eſt, de inſtitutis ejus cenſere. Neqve enim mihi de ejus rationibus qvicqvam conſtat. Cæterum cum libenter vellem reſponſum habere ad illas meas, qvas tanto antè tempore permiſi ad te; nihil abnuo, ut ad eum, modò in itinere non ſit, primâ qvaqve occaſione per certos homines perferantur, & qvi miſſurus eſt Dn. Lilius, qvem meo nomine officioſè ſalutabis, navet operam, ut reſponſum accipiam. De armis veſtris, & qvorſum tendant hi apparatus militares; tum ſi qvid de Svecis & Polonorum rebus certi habes, ut certiorem me facias, rogo. Adventus tuus mihi gratiſſimus erit. Vale. Raptim Wittebergæ, Kal. Juliis An. cIↃ IↃc LV.

XXXII.

Nobiliſſimo atque Ampliſſimo
VIRO,

Godofredo Schneidero,
JCto & Conſiliario Seren Ducis Holſat.
S. P.

LEntum nomen ſum, Schneidere Ampliſſime, non malum. Solvo enim, tardiùs licèt, ex ipſo Martio usqve debitor tuus. Noſti familia-

ria vitia ſenibus:obliviosi ſunt, cunctatores ſunt: qvicqvid moliuntur ac agunt, ſpiſſè procedit. Et miraris, ſi Julio demum menſe reſcribam? Qvid qvod & intervenerint, qvæ officii imponebat neceſſitas. Qvò accidit, ut licet voluntatis adeſſet affatim, facultas tamen deeſſet ſcribendi. Velis,nolis,excuſata Tibi erit hæc mora, & iſtud ſilentium noſtrum. Sed dum expungere qværo nomen,bonô,opinor,jure publica prætermittam homo privatus Nemo de iis ſatis benè cenſuerit, de qvibus ſatis benè haud cognoverit. Ariolari autem res fallaciſſima eſt; præterea vates ego haud ſum. Ad ſtatum tuum qvod eſt,cùm æqvô animô præſentem feras, prudenti futurum diſponas, qvid reliqvum mihi, qvàmNumen ſanctum precari,ut optimum ſemper & feliciſſimum annuat? Supereſt qvæſtio *de eligendo auctore, qvi omnibus ad Eloqventiam Romanam tendentibus ſufficere poſſit: & utrum is Curtius,qvod viſum nonnullis, pronunciandus?* Latè patet hæc diſputatio, multisqve erat agendum,ut rectè & ordine explicaretur. Nos breviter defungemur hâc operâ, & pro ingenii facultate non præſcripturi, qvid debeant ſtatuere alii, ſed ipſi qvid ſentiamus,expoſituri. Vincit ex facili manifeſta veritas;ſi qvid obſcurum fuerit & ambiguum,tam liberum eſſe aliis debet ſuā ſententiam edere,qvàm nobis fuit noſtram proferre.IdemCajo,qvodTitio,ut vetus verbum habet. Ac primo omnium valde dubito, auctorne hujusmodi dari poſſit, qvi omnibus ex æqvo conducat. Magna ingeniorum diverſitas eſt; nec

una

una conditio ac ratio omnium, qvi ſtylo aliqvid condere volunt. Ampla illuſtriaqve ingenia par ſibi qværunt dicendi genus: anguſta atqve obſcura nec Majeſtatem capiunt, & ipſo ſplendore excœcantur. Qvid qvod haud pauci ita nati ſint, ut brevitate ducantur imprimis; alii contra non niſi fuſa & laxa ut ament. Qvis auctor itaqve reperitur, qvi has ideas omnes unus, & ita qvidem exhibeat, ut univerſis conveniat ſatis? Alii in ſeceſſu & otio ſtudent, & laudem ingenii gloriamqve ſcribendo qværunt: aliis inter negotia & occupationes capiendus ſtylus eſt, qvi, rerum tempora ne curâ verborum corrumpant, ſatis habent purô & facili, hoc eſt, extemporaneô dicendi genere ſenſa animi ſui voluntatemqve expoſuiſſe. Jam aliud eſt narrare res geſtas, & ſeculorum memorias condere: aliud orare cauſas & diſceptare: deniqve (ut alia prætercam) ad amicos abſentes aut alios perſcribere, de qvibus monere & certiores facere velis. In iſta tempora igitur hasqve neceſſitates omnes qvi unus Scriptor ſatis conſulat, qvem perhibebimus qvæſo? Hiſtoricum an Oratorem aliqvem, aut Philoſophum, vel aliqvem Epiſtolarum Scriptorem? Habet qvisqve eorum, qvod conferat, neuter omnia, & qvæ ſufficiant in omnibus. Epiſtolarum dictio communior tenuiorq; eſt, qvàm ut Orationibus ſemper conveniat; & harum gravior et concitatior haud raro, qvàm inſervire epiſtolis hiſtoriisqve ſcribendis ut poſſit; iſtarum autem ut lætior atqve licentior ſermo eſt, & propior hilaritati carminum; ſic ab orationibus jux-

juxta epiſtolisqve divertit. Notabilis cenſura Fabii eſt, qvam, qvia huc pertinet, adſcribam: Lib. X. Inſtit. Orator. cap. 1.) *Hiſtoria qvoqve*, inqvit, *alere orationem qvodam molli jucundoqve ſucco poteſt; verum & ipſa ſic eſt legenda, ut ſciamus pleraſqve ejus virtutes Oratori eſſe vitandas. Eſt enim proxima Poëtis, & qvodammodo carmen ſolutum, & ſcribitur ad narrandum, non ad probandum: totum opus non ad actum rei pugnamqve præſentem, ſed memoriam poſteritatis & ingenii famam componitur: ideoqve & verbis remotioribus, & liberioribus figuris narrandi tædium levat, &c.* Porro ſicut per gradus ſuos humana vita procedit, & alia infantiæ, alia cæteris ætatibus congruunt: ita & ſtudia intervalla ſua proceſſusqve habent, aliaqve tyronum proficiendi, alia adultiorum ratio eſt. Cæterum naturæ ordo eſt, ut à facillimis & ſimpliciſſimis incipiamus. Hujusmodi igitur incipientibus proponendus eſt auctor, in qvo hic regnet character: adultis autem, qvi ſurgat altius, majoreſqve & ampliores virtutes præferat. Rectè igitur illis Terentius, rectè Nepos, rectè Commentarii Cæſaris dabuntur in manus, cum Tullianis qvibusdam Epiſtolis; malè Livius, malè Orationes Ciceronis, & hujus generis alia Opera: Qvorum virtutes neqve capere prima ætas, & multo minus exprimere poteſt. Fruſtra autem & inutiliter auctorem verſes, qvem æmulari deſperes. Vides igitur, non tantùm pro variis ætatibus hominum, verùm propoſitis etiam, atqve ingeniis, dari haud teme-

re

re unum auctorem aliqvem poſſe, qvi qvadret omnibus, itaqve conveniat, ut rationi cujusqve ac inſtituto inſerviat ſatis. Qvod ſi tenebitur, nec Curtius is erit, tantoqve minus erit, qvo paucioribus aptus idoneusqve videbitur, de qvo deinceps diſpiciendum. Nam ſi materiam reſpiciamus, qvid apud Curtium legas aliud, qvàm bella, & qvæ perpetua bellorum negotia ſunt, cædes, ſtrages, excidia urbium regnorumq; : qvicqvid deniq; armorum furor & audet, & patrat? Nihil ibi qvod ad civilem habitum & leniores illas virtutes, nihil qvod ad familiarem rem vitamqve privatam, & illam communem conſvetudinem hominum ſpectet. Qvod ſi de illis dicendi igitur ſcribendivè nobis neceſſitas incidat; ecqvod habebit ille, qvod conferat, qvod imitandum vertendumq; in uſum noſtrum ſuppeditet? Reges Ducesqve & militares viros præclare atqve utiliter inſtruet, ſed illos tantùm; de turbâ reliqvorum qvid fiet? Qvare ſufficere unus haud poterit: & ſi qvis alius poterit, nemo uberiùs Cicerone illud promittet. Neqve enim alterius ullius Scriptoris uſus latius patet. Nam qvod in foro, in curiâ, in vita communi negotium dabitur, de qvo non aliqvid dixerit? Qvis locus in Philoſophiâ aut diſcendis diſciplinis occurrit, qvem non attigerit, aut pertractarit? Poſthæc qvanta apud eum ad militarem rem, qvanta ad agriculturam pertinentia legas paſſim? Vis dare ad abſentes literas? rationem monſtrabit Cicero. Vis orationem conſcribere? non meliorem in omni genere ducem Cicerone habebis.

Vis

Vis rerum geſtarum monumenta componere? idem magno uſui erit. Nam qvot narrationes ibi invenies, tot propè habebis hiſtoriæ concinnandæ exempla. In ſumma ut dicam, nulla propemodum materia eſt, qvam non tractarit Cicero: ratio nulla dicendi ac via, qvam non & triverit ipſe cum laude, & aliis monſtrarit utiliter. Sed de materiâ ſatis. Qvid nunc de dictione & compoſitione Curtianâ dicemus? Enimverò, niſi vehementer fallor, neqve harum reſpectu congruere omnibus Curtius poteſt. Magna in eo verborum cura delectusq; ac exqviſitus nitor eſt: magna ſolicitudo numerorum & accuratio. Qvid dulcius eo, cum narrat? Qvid ſplendidius & efficacius, cùm concionatur? Qvantum ſententiarum acumen eſt? qvæ argutiæ? qvæ lumina earundem & geminæ? qvas cum rotundâ brevitate colligit & inſtar miſſilium torqvet ac denſat, qvum ferit animos ac vincit. Sed omnia iſta ſicut laborem & ſtudium ac ungves demorſos præferunt: Sic imitari difficile eſt, qvi periclitantur ſtylum primum, aut diſtricti negotiis otiô & poliendi tempore deſtituuntur. Noſti qvid de civili, h. e. illo dicendi genere, qvod viro civili ſeu in Republ. verſanti conveniat maximè, Plutarchus & Dionyſius Halicarn. monuerint. Qvod cùm familiare, & extemporaneum, & nihil minus qvàm anxium & elaboratum curioſiùs deſcribant; id multò citiùs Cæſaris Nepotisqve facilitas ſimplex, fuſaqve Oratio Tullii, qvàm arguta & comtula brevitas Curtii nobis promittet:

qvâ

qvâ propius ad dulcia illa, qvæ Fabius vocat, vitia acceſſit. Unde ſummus qvidam Vir, Caſpar Barthius (*L. XXVII. adverſar. c. 15.*) floriditatem Curtianam declamatorio affectui obnoxiam magis eſſe cenſuit, qvàm ſummorum auctorum auctoritas ferat. Qvod judicium ſuum tamen ad Orationes ejus præcipuè reſtringit, fictis, ut ipſe loqvitur, declamationum floſculis ex umbrâ Scholæ oſtentandis. Sanè qvi Curtium antiqviorem Declamatoribus volunt, atqve eorum intactum vitiis, aut non legerunt Senecam patrem, aut qvando & ipſe & Declamatores illi vixerint, qvorum affert exempla, ignorant. Floruit vel ſub Auguſto exercitationis hoc genus. Atq; Ovidium nonnullas ſententias de Porcii Latronis Declamationibus transtuliſſe non tantùm in carmina ſua, ſed ipſum qvoq; declamitaſſe, idem Seneca auctor eſt. (*L. 2. cont. c. 10.*) Atqvi Curtius Auguſto poſterior, certè non prior fuit. Potuit igitur non imitari Declamatores modo, ſed declamare & ipſe inter Sophiſtas ſeu Magiſtros dicendi. Qvem & profeſſum fuiſſe, argumento eſt index libello Svetonii de claris Rhetoribus præfixus, ubi poſt Porcium Latronem Q. Curtius Rufus nominatur diſertè. Et hunc eundem cum Hiſtorico eſſe, eruditorum pleriq; conſentiunt. Hæc tamen eò accipi velim, non qvod auctorem venuſtiſſimum excutere elegantiorum hominum manibus cupiã, qvem & aſſiduè & diligenter verſandum ſtatuo; cujusq; meipſum ſic capi lectione libenter profiteor, ut ſatiari vix poſſim; ſed qvod nec ſolum, & cum judicio legendum putem. Nam

ut

ut de aliis taceam, ſeponendus Cicero non eſt. Qvi omnes ideas dicendi ac rationes præclaras uti expreſſit maximè, ſic & conſulere maximè atqve prodeſſe illius Oratio omnibus poteſt. *Hunc*, inqvit Fabius, *ſpectemus, hoc propoſitum nobis ſit exemplum. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit* Vale & me perge amare. Wittenbergæ ad d. XVIII Julii, Ann. cIↄ Iↄ CLV.

XXXIII.

M. Johanni Vogelhaupt.

S P.

PRæſtantiſſime Dn. M. VOGELHAUPTI, nimiopere cupio accipere nuncium de Dn. Ravio reverſo. Non tam qvod mea interſit magnopere, qvam ejus referat, cujus nomine ad ipſum jam diu ante dedi literas, atqve ad Te permiſi. Qvi cum ſubindè vellicet aurem, reſponſumq; flagitet; ſummopere ei ſatis fieri velim; ne forte me negligentius ſuſpicetur commiſſa curare ejusq; in me refrigeſcat gratia: qvod nimiopere cautum velim. Eſt enim ex Proceribus aulæ & multum poteſt: atq; jam diu multum me amat. Maturrime ergò perſcribe ap me, utrumne redierit, annon? Atqve ſi hoc eſt, qvæ cauſſæ cogant hominem tamdiu abeſſe, & ſi qvæ alia ejusmodi ſunt, qvæ ſcire me velle putare poſſis. Velim, ut reverſurus domum huc vertas iter, & Lipſienſi demum viâ proficiſcaris, qvo colloqvendi tecum de his & aliis rebus copia mihi fieri poſſit. Si ita inſtitueris facere, rem mihi gratiſſimam feceris. Vale. Raptim Wittebergæ ad d. XVII. Junii Anno cIↄ IↄCLV.

XXXIV.

M. Johanni Vogelhaupt S. P.

FELICITER, FELICITER! Clariſſime Vogelhaupti! Unde enim potius meliusqveEpiſtolæ ducam auſpicium, qvàm à precibus bonis? & qvomodo brevius ominari tibi fauſtas, ſecundasqve nuptias liceat, qvàm veteri iſta & in hac re ſolenni formulâ? Simplex votum eſt, & eo ipſo ſincerius. Qvid multiloqvio opus eſt,cum verbum unum complectitur, qvæ alii vix longis logis expediant, in ſpeciem potius,qvàm ex affectu. Tu verò noſti,veritatem oſtentationem ſpernere ac pompam, & brevitati amicam eſſe. Qvod me invitas ad ſacra veſtra,comiter facis & gratiam habeo. Sed intereſſe,& viæ longinqvitas,& tempus anni,& valetudinis ratio, non ſinunt. Sat erit adeſſe animo, dum abſum corpore: & dare partes carmini, qveis fungi ipſum,non ilicet. Qvod ſi ejusmodi non eſt, qvale tu qvidem expectabas: Ejusmodi erit tamen,qvale in præſens dare potui, nec otii abundans,& ejus ætatis,qva Flaccus dicebat,

Nunc itaqve & verſus & cætera ludicra pono.

Boni itaqve conſules: Et ſtudium potius gratificandi,qvam meritum carminis æſtimabis: Ut in eodem,qvo cœpi deſinam,FELICITER, FELICITER! Clariſſime Vogelhaupti! Wittebergæ d. XXII. Octobr. Anno cIↄ Iↄc LVIII.

XXXV.
Ottoni Prætorio
S. P.

Admodum Reverende atqve Ampliſſime Domine.

AUdaculus tibi fortean videar, aut impudens certè, qvi nec de facie tibi fortaſſis, nec ulla aliâ re notus, ad te has exarem literas. Tamen ſi humanitatis eſt, mereri benè de qvolibet; ſi laudem juſtitiæ habet, non iis deeſſe, qvibus cupias valde; dabis, ut ſpero, veniam nobis, benigneqve ſtatues in me, qvod tibi ipſe expeteres, ſi, qvas ſuſtineo in præſenti, tutemet ipſe ſuſtineres partes. Annos non paucos in Academiâ noſtrâ *M. Joh. Seyfertus* Lucenſis Miſnicus vixit; & ita qvidem, ut ſibi qvotidiè plurimum laudis conficeret. Sed cum iniqvitate ſuperiorum temporum afflicti patrimonii res malignè ſumtum ſuppeditent, circumſpicienda ſubſidia ipſi ſunt, imò qværenda conditio eſt, unde redeat, qvo ſuſtinere ſe poſſit. Ne per ambages te teneam, Ampliſſime Vir, Catbuſienſis Scholæ Rectoratum ambit, & eô nomine nunc ſcribo ad te, in qvô, ad eam conſeqvendam rem, momentum maximum poſitum eſt. Eâ ingenii elegantiâ Seyfertus, doctrinæ copiâ, venuſtate morum vitæqve integritate eſt, ut iis laudibus haud facilè cuiqvam alteri cedat. Qvô fit, ut Scholæ veſtræ faſcibus digniſſimum putem. Si qvæ res enim boni Rectoris numeros implent, hæ ipſæ implebunt. *Age* igitur, Vir Reverende admodum, & fave benignè ejus conatibus, ac effice adeò, qvod potes, ut tuê

tuô præſidio opeqve fretus impetret, qvæ modeſtè & verecundè qvidem, cæterum non injuſtè & vanè petit. Non pœnitebit profectò te beneficii hujus: in gratum memoremq; id conferes, & qvod præcipuum videri poterat, dignum. Me verò ita devincies, ut amplius vix poſſis. Nec unqvam ego non memor ero. Vale feliciter & fave. Dab. Wittenb. ad.d. XXIX, Octobr. Anno cIↃ IↃC LV.

XXXVI.

Johanni Nicolao à Schönfeld, à conſiliis *Cameræ & Metallor.*

S. P.

DIci non poteſt, qvam me confuderit nuncius, qvi diebus ſuperioribus de obitu incomparabilis Soceri tui afferebatur. Non modò qvod amiſiſſem eum Patronum, cui debebam, qvantum deberi illi poteſt, cui uni omnia referas; ſed Patriæ & literarum maximè cauſa, qvibus in eo ingens columen præſidiumq; ademtum eſt. Nec hoc non ſentis, *Virorum Nobiliſſime*, & doles vicem communem, qvamqvam privati etiam vulneris dolore afficiare. Nam tanto Socerô orbari, non ſanè vulgaris ac tralatitia clades eſt, & qvæ tumultuariô luctu leniri qveat. Sed hæc conditio noſtra eſt: ferre mortalia mortales oportet. Bona, qvæ confert Deus, non in æternum uſum nobis, ſed in certum diem fruenda concedit. Qvi ubi venerit, cedenda illa, inter lacrymas licèt, & peragendæ gratiæ ſunt, qvod tam benignè hactenùs indulſit. Id reſtat officii, ut recordemur datorum venerabiliter, & grati cele-

bremus laudes, qvorum clariſſima merita à funere etiam durant. Qvod pietatis genus ni recepiſſem viventi adhuc ſocero dudum, nunc mortuo tamen deberem ultro, tot beneficiis ei & meritis maximis obligatus. Qvare conſtitui mecum propediem, ſi faverit DEUS, parentalem ei orationem conſcribere, & publicè recitare, ut juxtà & datam fidem religioſe liberem, & notam ingrati animi deteſter. Suntqve non pauci anni, cum ὁ μακαρίτης commentariolum mihi traderet, in qvo genus, parentes, ſtudia cæteraqve, qvibus vita noſtra abſolvitur, ſua conſignaverat manu. Sed ille libellus in anno cIɔ Iɔc xli. deſinit, cum Architheſaurarii munus ipſe eſſet collatum: Reſtant itaqve annorum XIV. actus cum ſupremorum hiſtoria, hoc eſt, de valetudine ultima & ipſo exceſſu. Qvibus temporibus multa egiſſe dixiſſeqve magnum & ſapientem virum relatu digna ad poſteros, ut dubitari non poteſt, ita ad inſtitutum meum plurimum fecerit ea non ignorare. Qvod ſi igitur, *Summe ac Nobiliſſime vir*, non ingrata mea in Socerum pietas eſt, vehementer te rogo, ut ſi qvid eorum de illis annis aut annotaverit literis ipſemet Socer; aut alii notare ac obſervare habuerint penſi, imprimis qvi fuerunt circa, decumbentiqve ac morienti adſtiterunt, eorum omnium ut amanuenſium opera mihi qvamprimum copiam facere non didigneris. Non neſcio, me impar ingenium, imparem eloqventiam ad enarrandam Viri tanti afferre vitam; ſed malo infantiæ ac imprudentiæ ſubire culpam, qvam malè memorem atqve ingra-

gratum videri. Qvem affectum meum non improbabis ſpero, *Generoſe Domine*; ales & incitabis potius, & impetrari abs te patieris benignè, qvæ paulo petii ante. Ita felix agas perpetuò, nec ullus unqvam domum tuam funeſtet luctus, conſtantiam animi tui certè ac magnitudinem non frangat. Wittenbergæ ad d. III. Nonar. Novembr. Anno cIↄ Iↄclv.

XXXVII.

M. Johanni Vogelhaupt

S. P.

PRæſtantiſſime Dne Vogelhaupti, qvoniam de ſucceſſione in locum M. Sibronii ſpes omnis tibi, ut ſcribis, præciſa ademtaqve eſt, viſum fuit de aliâ hujus generis provincia tecum agere. Uno vel altero lapide à Dreſdâ Johannes Sigiſmundus à Zeidler, ſplendiſſimus Eqves, nec amans literarum tantùm, ſi qvisqvam alius; ſed peritiſſimus qvoqve, & reconditiorum illarum & elegantiorum, qvas appellamus, Hermansdorffii in paternis prædiis & ampla re familiari agit. Is paucis diebus ante literas dedit ad me, petiitqve, ut ſibi commendarem hominem bene compoſitum moribus, eruditum literis, ſcientemqve, ſi is inveniendus, Juris, qvem liberis ſuis præficeret. Et qvoniam de Studioſo juris fruſtra fui; ad te eundum putavi, ſciſcitaturs, an pati poſſes, iſtam provinciam tibi imponi. Qvamqvam autem Zeidlerus nihil ad me perſcripſit de mercedis ſumma, & qvæ ſperare præterea commoda habeat, qvi eas partes ſuſceperit, optima omnia tamen ab eo mihi promitto atqve

gniſſimus amore tuô ſim,ſi non in omnibꝯ commodis tuis annitar ſedulò, ut nihil pro te intermittatur. Itaqve jube, committe, impera, qvæ & qvanta velis, nunqvam tantum erit, qvin majus ac gravius optem. De cætero incumbendum etiam erit in id, ut gratus alioqvin deprehendar. De qvo ego mecum ſum acturus cum Deô ac die. Carmen remittam, ubi perlegero. Modo non licet, ubi vix iſta conjicio in chartam. Apud N. numerata pecunia eſt, qvam miſiſti. Petii Apocham; miſit in ejus locum literas adjectas. Nova qvæ ſcribis, relata mihi antehac ſunt. En inopportunam rem atqve inſanam! de ſalario ac cæteris tuis agam, cum exiero, & reſcribam. Nunc ſalve cum tua tibi chariſſima ac vale iterum iterumqve. Witteb. ad d. 11. Jan. 1659.

XXXIX.

HEINRICO à FRISEN,

Academiæ nomine,

Illuſtris ac Generoſiſſime Domine, Mecænas optime maxime,

SAtis felici auſpicio Academiæ cauſa de aſſesſurâ Collegii Theologici D. N. N. & D. N N. Profeſſoribus extraordinariis deſtinatâ, ad illud conſilium ſanctius, in qvo ampliſſimo loco, & pari gloriâ, aſſides, non ita pridem videtur delata. Nam codicillus nuperus, qvo juſſa Academia, Judicium illud, qvod ſenis qvaſi annis abhinc de hoc ipſo negotio, Theologi noſtri perſcripſerunt, intra octiduum proximum ad Sereniſſ. Ele-

ctorem permittere; qvantum ſpei fecit nobis de exoptato rei eventu? Qvid poſceretur enim libellus ille, qvàm argumenta, & nuper ab Academia, & tum allata à Theologis, ut conferrentur cum cura, & excuterentur denuò & conſtitueretur deniq;, qvod ex communi re Academiæ futurum maximè videretur? Id ipſum videlicet, ut auguramur, qvod viſum patribus proximè, & annis ſuperioribus ipſimet Theologi, qvorum hic maximè agitur res, cenſuerunt. Sed hic & alia qvæſtio de locô videtur incidere: utrumne duo illi extraordinarii eundem tenere in poſterum debeant, qvem hactenus ab ordinariis proximum occuparunt; an alius iis ſit aſſignandus? In qvo cum uſu venire poſſit, ut fiat aliqvid, qvod ſolvat ſervatum hactenus ordinem, ac turbet nonnihil; diſpicienda in tempore ratio fuit, qva declinare imminentem fluctum qvam commodiſſime liceret. Non fugit eqvidem, qvid de externis rebus noſtrarum artium auctores ac principes cenſuerint: & qvàm imprimis eum, qvi ſapientiæ ſtudeat, exiſtimarint decere, ut bona ſua intra ſeipſum ſita maximè putet; eundem tamen cum non reſpicere tantum oporteat, qvid ipſemet ſibi præſtare potiſſimum debeat; ſed illud conſulere etiam, qvod in publicum proſit: & verò artes præclaras ac literas jacere formè contingat ac negligi, contemtis earum doctoribus; vel boni publici cauſa non omnem exiſtimationis curam abjicere decebit philoſophum; ſed dare omninò & aliqvam operam, ut, qvod auctor maximus ait, inanium ſpecie valeat. Qvare non dabitur vitio nobis

nobis, DOMINE, optare, ut qvilibet noſtrum ſibi deinceps etiam teneat, qvem tenuit hactenus, & pro virili ornare ſtuduit locum. Non heri aut nudius tertius demum ad has docendi publicè partes pleriq; omnes acceſſimus: & ſunt in ordine noſtro, qvi ſupra ipſos qvadraginta annos, qvi ultra viginti, qvi ad viginti aut proximè, eas ſuſtinent, his loco trudi, qvàm honorificum fuerit, tuendæqve ipſorum ad ſectatores auctoritati, in prono atqve aperto eſt. Qvod ſi in repentina trepidatione aliqvâ eò ſolemus confugere, ubi certam & expeditam auxilii ſpem habemus ſitam: enimverò meritiſſimo jure, ILLUSTRIS HEROS, deprehenſi in iſtoc æſtu ad Te recipimus nos, in qvo plus tantò præſidii nobis confidimus fore, qvantò & admirator unicus magis, & omnis doctrinæ ac ſtudiorum liberalium eminentior ipſe es auctor. Qvæ ſapientiæ pars non tacta tuæ induſtriæ, ſed pertractata penitus eſt? Qvid in literis artibusqve rarum, egregium, elegans, qvod non capaciſſimi tui ingenii vis atqve ſublimitas exhauſerit totum, & animo dudum complexa ſit? Non potes non favere artibus tuis, HEROS INCOMPARABILIS, non potes non curæ tutelæqve habere ſtudia, qvibus honoris tantum ac dignitatis diſcendo ac percolendo tribuiſti? In tuum itaqve ſinum noſtras deponimus ſpes: benevolentiæ tuæ ac fidei honorem noſtrum concredimus. Tu pro divina ſapientia tua ſtatues, qvid ex utilitate atqve ſalute ſtudiorum maximè fuerit: qvid ad illorum exiſtimationem imprimis faciat, qvi meliores lite-

ras & ſaluberrimas artes publicè & ordinariè docent. Vix qvidem licet videre, qvid adjici laudibus tuis amplius poſſit, qvi omnis togatæ gloriæ culmen jamdudum tenes; non ſpernes tamen pietatem noſtram ſperamus, & patieris clementer adeò hederas noſtras, non illas victrices qvidem, ut ait Poëta, & Martias laurus, ſed ſapientia atqve conſilio partas jam ante, per frontem illuſtrem errare Tibi ac leniter ſerpere. Neq; enim minori decori apud poſteros erit, Te ſtudiorum atqve Muſarum, qvàm Reipubl. patriæqve exſtitiſſe præſidium atqve tutelam. Vale, MECÆNAS ILLUSTRISSIME; Deus Te ſervet communi bono. Witrenbergæ VII. Kalend. Februarii, A. cIↃ IↃc LIX.

XL.

CAROLO à FRISEN,

Academiæ nomine.

Illuſtris & Generoſiſſime Domine,

PAteris clementer, ſperamus, in tua virtute nos laborantes æſtu ancipiti, tantum fiduciæ ponere, qvantum in tempeſtate deprehenſi nautæ, in Caſtorum ſidere collocare olim ſpei ſolebant. Qvamvis enim Reſcriptum Electorale, qvo jubebamur non ita pridem, judicium illud, qvod annis ſuperioribus Theologi noſtri, de aſſeſſura Collegii ſui, qvæ tum agebatur, atq; nunc iterum cœpta eſt agi, ad Academiam perſcripſerunt, in protoſynedrium qvantocyus mittere, non malum præbere videbatur omen: cum nemo noſtrum dubitaret propemodum, qvin Sereniſſimus Elector approbaturus rationes illas clemen-

mentiſſimè ſit; qvæ ſuper hac cauſſa & nuper ab Academia, & à Theologis ante, continentes omnino & conſpirantes mirifice, allatæ eſſent: veremur tamen, ſi illud tractandum & decidendum etiam veniat, utrumneProfeſſoresTheologi extraordinarii, D. N. N. & D. N. N. qvem tenuere hactenus poſt Profeſſores Philoſophos locum, eundem peræqve tenere deinceps debeant; an novus ac alius iis ſit aſſignandus; ne interveniat aliqvid, qvod obſervatum ordinem hactenus commutet ac rumpat. Qvod ſi ex eo nihil conſeqvi aliud poteſt, qvam ut & ordinis noſtri, & ſtudiorum, qvæ profitemur, non ſine publico malo evileſcat auctoritas, confugiendum nobis ad tuum, ILLUSTRIS DOMINE, patrocinium eſt, petendumq; demiſſe, ut integritatem noſtræ exiſtimationis benigne velis aſſerere. Vixiſti in Academia noſtra olim illuſtri raroqve exemplo aliis, qvos decus natalium communi eximit ſorti. Auſpicatus in ea feliciſſimè ſtudia, illa es, qvorum Tutelam nunc Tibi committimus, & qvæ Te tandem in iſtud collocarunt faſtigium, qvod applaudentibus omnibus non ſine ampliſſima gloria tenes. Aguntq; adhuc in ordine noſtro, qvorum opera ac miniſterio, qvod magni æſtimant, fuiſti uſus, cum apud nos poſito de nobiliſſimarum artium ſcientiis capaciſſimo animo tuo induendis curas pulcherrimas agitares. Qvorum ut oblivisci velis, ſicut te generoſus ille & proprius tuæ maximæ indoli candor non ſinit; ita multum præſidii ad tuendum honorem noſtrum ac locum, in tuæ gratiæ ſpe ponere me-

merito omnes audemus. Præſtet Theologia Philoſophicis literis: antiſtet Magiſtrorum dignitati Doctorum decus: non ideò tamen antiqvis & ordinariis Profeſſoribus novelli & extraordinarii præferendi. Illi enim in adminiſtratione Reip. Academicæ ſuas etiam & publicas partes habent: hi nullas omninò & mere privati ſunt. Unde jam diu obtinuit, ut facultatum qvarumvis Doctores, qvi nullis funguntur muneribus publicis, poſt Profeſſores Philoſophos incedant Hoc ut illæſum igitur & incorruptum nobis maneat jus, contende benignè, *ILLUSTRIS DOMINE*, & efficacem, qvod potes, atqve invictam operam nava. Ita efficies, ut apud Græcos qvod Hercules, *MUSAGETÆ* vocabulo conſecratus, audiit, id apud nos poſt deinde audias; ac ſemper adeò Muſarum vocibus Herculis noſtri celebretur virtus, cum honor Muſarum virtute ejus ſit vindicatus. Vale, *ILLUSTRIS & GRATIOSISSIME DOMINE*, & ſemper affulge nobis felixqve ac bonus! Wittenbergæ VII. Kalend. Febr. anni cIↃ IↃc LIX.

XLI.

Præ-Illuſtri ac Generoſiſſimo Baroni ac Domino,

HENRICO à FRISEN

S. P.

Illuſtriſſime Domine,

IN tantô tuô domeſticô luctu qvod ſilui hactenus, non per incuriam & qvandam oblivionem officii, ſed deliberatô conſiliô, & juſta, opinor, cauſa factum eſt. Recentiſſimum vulnus, qvod-

qvodqve vel leviter tangere, exulcerare eſt: & cum dolor ſimul is ingruit, concurrere ſtatim, non hoc lenire, ſed accendere eſt. Jam mihi ipſi danda aliqva vacatio fuit, dum ex mœrore, qvi æqve oppreſſerat me, colligeret ſeſe animus, reſurgeretqve ad partes, qveis ſuſtinendis neqve dum ſatis me ſentio parem. Nam in illuſtri patre tuo, qvem ſtudiorum ego Patronum auctoremqve, qvod rerum mearum præſentiſſimum columen amiſi? Et nondum de damnis publicis dixi, qvæ uti ad omnes pertinent, ſic eò qvemqve afficiunt magis ac commovent, qvò altiùs cura amorqve patriæ animo ejus inſederit. Qvæ incredibilis in eo ſapientia erat? qvæ vis doctrinæ? qvis uſus rerum tam diuturna tot maximorum negotiorum tractatione comparatus? Qvid de virtutibus reliqvis dicam, qvibus omnibus vita ejus tantopere ſplenduit atqve illuſtris fuit? qvæ qvo habentur hodie rarius, & qvantò ægrius iis patria caret, fatiſcens undiqve & omni propemodum laborans parte, tantò acerbius ab optimo qvoqve deſiderantur. Illi enim

Pudor & juſtitiæ ſoror,
Incorrupta fides nudaqve veritas,
Qvando ullum invenient parem?

Sed hoc in tempore tuo tacere diutiùs, integrum mihi haud duxi, ne alienus videar à mœrore ac ſolicitudine, qvæ me peræqvè macerat, atqve vix ulla clades domeſtica poſſit. Namqve cum magnam doloris partem poſuiſſe videris, poſtqvam ſanctiſſimis Patris manibus juſtorū perſolviſti ſolennia, non intempeſtivum exiſtimabam, defun-

defungi officio, ad qvod tuorum meritorum in me præſtantia & magnitudo me obligabat. Neqve nunc vulgatiſſima illa repeto, lætis atqve ſecundis rebus ſemper uti, in ſortem humanam non cadere Miſceri vices, & malum à bono non ſeparari. Poſt amœna jucundaqve incidere ſemper, qvod mordeat. Non hac conditione naſci homines, ut immortalem vitam agant. Obeundum tandem, & decedendum de luce, tradendamqve hanc vitæ lampada, cum vicerint jam & curſum ſuum abſolverint. Illud ſubjiciendum animo potius, longum & nimium luctum nec viri nec ſapientis eſſe. Cæterum id approbare tibi operoſius, tam inane qvam ſtultum. Qvæ enim gravitas animi tui atqve conſtantia eſt: qvod robur invictum adverſus qvælibet fortunæ tela? idqve cum ab excellentiore natura habeas, tam diſciplinis ſtudiisqve pulcherrimis ita emuniiſti undiqve atqve firmaſti à prima penè pueritia, ut iſtum mentis habitum ac ſtatum nulla tempeſtas caſuum labefactare atq; concutere poſſe videatur. Non temeraria res homo eſt. Ortus obitusqve noſtros divina providentia diſponit: & Deum ubiqve ac ſemper ſeqvi non tantum ſvadet religio, ſed & Græcorum ſapientiſſimi monuerunt. Qvorum eximias atqve graviſſimas voces, cum ita perdideris dudum, ut nulla te harum fugiat, luderem ſane operam, ſi in iisdem allegandis ordine, ſudare nimium velim. Sed illud Cleanthis carmen mihi ſemper vehementiſſime placuit:

Duc

Duc me Pater ſummiqve Dominator poli,
Qvocunqve placuit: nulla parendi mora eſt,
Adſum impiger; fac nolle, vel gemens ſeqvar.

Qvod tanti ſapientiſſimus Epictetus habuit, ut in omni incepto id reputandum putaverit animo, qvanqvam & Euripid. illud commendet ac inculcet.

Neceſſitate qvi minorem ſe gerit,
Sapit ille vere, & conſcius cœleſtium eſt.

Nimirum in omni caſu tollendi in cœlum oculi ſunt, & inde petendæ eorum, qvæ uſu veniunt, cauſæ. Eſt enim, eſt Deus, qvi inſpicit haud tantum, ſed ordinat etiam ac moderatur omnia, & ei parere libertas ſumma. Qvis reluctetur ei, qvi trahere poteſt, nolentes duci: qvis voluntati ejus non acqvieſcat placidè, qvi cum optimus ſit, nec cogitare ſaltem, qvod noceat, poteſt? Diverſa tamen eorum, qvæ accidunt, DEI & hominum æſtimatio eſt, & Scenicus Sophus jamdudum monuit: qvæ hic mala putantur, hæc ſunt in cœlo bona. Ibi enim non tàm reſpicitur, qvod juvat ac delectat maximè, qvàm qvod ſaluti eſſe poteſt. Namqve ut medicinæ amariores ſaluberrimæ eſſe ſolent; ita qvæ lædere gravareq; videbantur, cummaximè proſunt, ſi qvis in iis rectè ſe gerat. Sed qvæ præpoſtera Philoſophia hæc, Illuſtriſſime Domine, apud Te, cui divina humanaqve omnia cognitiſſima ſunt, & qvi facillime ſapis, qvicqvid doctiſſimi etiam ignorant? Perſoluta jam omnia ſunt, qvæ & exigere Patris manes, & tua iisdem debere potuit pietas. Ductæ exeqviæ, peracta feralia cætera ſunt, & conditis ritè re-

reliqviis, ecqvis magnopere luctui ſupereſt locus? Id reſtat potius, ut colamus ac veneremus deinceps, qvod flevimus hactenus: dictaq; ac facta inclyti Patris recordemur aſſiduè, cum laude atqve cura, qva licet, imitemur. Hæc ſumma ac maxima pietas eſt, qvam mortuo poſſunt præſtare ſuperſtites. Ac utinam mihi in hac ſenecta ætate tantum adhuc ingenii ſuppetat, eximii aliqvid ad conſervandam paternæ memoriam gloriæ conferre ut poſſim, qvo corpore amplus qvi vivere neqveat, in libris libellisqve ſpiret ac ſuperet. Sed illhoc voti magis eſt, qvam copiæ noſtræ. Optare qvidem in prono apertoq; omnibus eſt, præſtare nobiliter hi tantum poſſunt, qvi ingenio vigent. Qvamqvam &ipius exiſtimari ſoleat, qvi qvantum potuit, præſtitit. Reliqvum eſt precari Deum immortalem, ut Te & fulcrum & decus patriæ illuſtriſſimum, ut & domum tuam inclytam perpetuò tueatur ac ſervet, iisq; abundantiſſimi rebus cumulet; qvibus humana conſummatur felicitas. Scribebam Wittebergæ d. XXIX. Julii. An. cIↄ Iↄc LIX.

XLII.

M. Jacobo Reichmanno

Rect. Torg.

Præclariſſime Ampliſſimeqve Vir, Fautorum certiſſime:

QVem mihi olim tradidiſti, Johannes S. nunc à me petiit, ut ſe tibi traderem, deq; meliori nota commendarem. Qvi etſi non opus habeat commendatore, cum ſuâ ſe involvere ac exerere etiam virtute poſſit: nolui tamen deeſſe peti-

tis

tis honeſtiſſimis, & libenter adeò hanc ſubii ſcriptionem. Meditatur ille aliqvid promotionis apud vos; qvod an liberum ſit meditari, eqvidem ignoro. Vos noveritis. Si autem ita eſt, novi ego hominem iis moribus præditum, ea etiam ſcientiâ ornatum, ut explere vacuefactás partes abunde, & cum laude poſſit. Nobis certè qvi rerum ſtipendiariarum, ut ita loqvar, curam gerimus, tantoperè ſatisfecit ſemper, ut non niſi cum laude ejus facere mentionē poſſimus. Nunc ſvaſor & auctor ipſi extiti, nihil incipiat facere, ſuſcipere ac deſignare in illis, qvas molitur poſt Deum, rebus, ſine Te, ſine Tuo conſilio, ſine tuâ voluntate ac ſponte. Sic enim futurum arbitror, ut omnia rectè eveniant, nec ille excidat ſpe, qvam conceptam penes ipſum intelligo. Sed de Te me non dubitare ſinit vetus noſtrum hoſpitium ac amor, qvi duraturus ad omnem noſtram vitam eſt. B. V. ad d. 19. Jun. Anno 1660.

XLIII.

HENRICO à FRISEN,

Illuſtriſſime Heros,

CUm generoſus juvenis, GOTTLIEB ERNESTUS à PRECK, eqves Boruſſus hactenus ſæpè ex me (qvocum in annum qvintum fui) deprædicari audiiſſet inuſitatas virtutes tuas & incredibilem ſapientiam doctrinamqve, qvâ longè excellis, miro accenſus deſiderio fuit, videndi te, & venerandi coram, qvod admiratus tacite hactenus in te fuiſſet. Qvare cum nunc cum Rechenbergio excurreret Dreſdam, vehementer à me petiit, ad te ut darem literas, qvæ

 inſtar

inſtar notoris eſſent,&aditum ſibi pararent ad te. Dicebam eqvidem,minimè omnium id eſſeopus, cum optimo cuiqve pro ſingulari tua bonitate patere conſveveris ſponte: Sed cum inſiſterèt petere, qvæ ſemel rogare cœperat, dedi ei hanc veniam; & ſi moleſtus fortean fuero, ut gratioſe & liberaliter ignoſcas, reverenter oro. Multa autem de PRECKIO noſtro dici & prædicari poterant, *ILLUSTRISSIME HEROS*: ſed tua moranda tempora non ſunt, ne in publica peccem. Hoc dicam tantum, eſſe illum plane de genere eorum, qveis Titan meliore luto,ut ait Poëta, præcordia finxit. Qvanta enim virtute, & qva modeſtia præditus eſt? Cæterum à ſeculi vanitatibus averſus adeo, ut ævi hujus vix putes. Qvid nunc de eruditione doctrinaqve ejus dicam? qvibus rebus cùm nihil in vita humana præſtantius ducat, iis unice ſemper maximeqve dedittus fuit. Non uti vulgo nonnulli ſolent; ſed more illorum, qvos major qvidam meliorqve afflavit genius. Jurisprudentiam callet eximie: in Hiſtoria verſatiſſimus eſt; doctrinam civilis habitus ex primæ ac ſingularis notæ auctoribus eam ſibi comparavit, qvalis in qvàm pauciſſimis aliis, & magni hæc facere, mirificeq; amare ſoles, ILLUSTRISSIME DOMINE. Qvare complectere PRECKIUM benigne, & ita ſubjice faces, ad abſolvendum iter, qvod cœpit. Habebis præconem cultoremqve maximarum tuarum laudum ſemper, qvem nunc admiſeris comiter. Nec detrectabo ea in re habere æmulum, qvem inter amicos

præ-

præcipuos dudum complector. Vale, ILLUSTRISSIME HEROS, feliciter, & me, qva conſvevisti hactenus, complecti gratia perſevera. Deus te ſervet. Wittenb. d. xxvi. Febr. Anno cIↃ IↃCLX.

XLVI.

M. Johanni Vogelhaupt

S. P.

GRatiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ, VOGELHAUPTI CLARISSIME: Qvippe qvæ tuum amorem veterem & ſingularem affectum in me haud ingerebant obſcurè & palam ubiqve teſtabantur. Ut nemo non averſatur odium atqve invidiam; ita à bonis amari qviſqve, & petit, & gaudet. Me qvidem in hâc ſenectâ ætate nihil æqvè ſolatur ac afficit, & decadivum ejus pondus, ut cum Poëta veteri loqvar, ſuſtinet magis levatqve, qvam fida amicorum alloqvia, ſive præſentes id faciant, ſive abſentes has partes literis mandent. Nam licèt illud jucundius accidat, qvòd & aſpectu frui licet; hoc tamen delectat proxime, & ſuam animo voluptatem affert. Perge itaqve hoc fungi officio in poſterum, & cum mittendi occaſio eſt, mitt aliqvid, qvod levet ætatis tædium & memet ipſum mihi tolerabiliorem faciat. De publico ſtatu merito qvereris: it a enim corrupta contaminataqve pleraqve omnia ſunt, u t, qvid ſperare in poſterum magnoperè habeamus boni, vix videam. Aſtus, doli, verſutiæ, fraudes pene invaſerunt virtutum nomina: Atqve ad ea qvisqve qvò ingenioſior callidiorqve eſt, eò ferè habetur & melior. Itaqve

candor, ſimplicitas, veritas, modeſtiaqve aut jacent contemtæ aut infeſtantur jactanturqve plerumqve exoſæ. Qvo pulchrius mihi cum ſenectute meâ convenit, qvod ſpem præbere videtur, fore in brevi, ut vinculis iſtis, qvibus colligatum corpus, exſolvar, & eo evolem, ubi

Nec Pelopidarum facta neqve nomen audiam: & liber omnibus, qvæ nos hic urunt ac vexant, gaudia gaudeam ſempiterna. De Academia verò noſtrâ qvid dicam aut taceam? Si & nihil læti magnopere proferre licet, & vulnera uoſtra ac morbi celandi potius videantur. Pube proterva utimur: in ſtudiis pauci ſeriò ſatis rem agunt: Et illud VIDERI plerisqve eſt ſatis. Nobis ſtipendia aut nulla procedunt, aut ſatis malignè; qvo fit, ut unus alterqve non per decoras artes ſatis ſua ſibi præmia petant. Ex qvo inimicitiæ & odia, qvò occultiora, eò & magis noxia. Interim non deſerenda ſtatio eſt, & ſua cuiqve tuenda ſparta: ſi non alio, bonæ conſcientiæ pretio tamen. Qvod & tu ſtrenuè facies, atqve in eo vel temet ipſum contendes vincere; Ut tua opera ſtudioqve adjuta adoleſcens ætas ad omnem virtutis & pulcherrimarum artium cultum feliciter proficiat, magnasqve utilitates in patriam olim & commoda conferat. Qvæ fruſtra expectes, ni primi anni optimis ſtudiis imbuantur. Vale Clariſſime Vir, & bonum verumqve amare perge. Wittenbergæ. d. XIII. Decembr. Ao. cIɔ Iɔclx.

CASP.

XLV.

CASP. ABRAHAMO
à Schönberg S. P.

Generoſe ac Nobiliſſime Domine,

[Actenus mihi cum podagra res fuit, qvæ me acerrimè ac vehementiſſimè exercuit.. qvanqvam redire nunc mecum in gratiam ıi videatur, & paulò mitiùs agere, ſatis mole: tamen affert; qvare in reſpondendo ſi brer fuero, non ægrè feres. Qværis igitur de ad Eloqventiam inſiſtenda. Rem pulcheram qvidem, ſed difficilem petis; & longum iter, & multo labore opus ut conficias. Sed dantenus etiam perveniſſe, laudis eſt. Vers in aula atq; negotiis Principis: itaqve parum ıporis ſupererit, puto, qvod huic ſtudio imtiàs. Qvare compendiaria via eundum erit, ſtant publicè Gerhardi Johannis Voſſii Rheces contractæ ſive Partitionum oratoriarum i qvinq;: hos niſi familiares reddideris tibi ıdudum, ut reddas tandem ſedulo ſvaſerim. :cipuè eam partem libri ſecundi, qva locum entionis ſpecialis tractat, qvæ eſt à cap. XVI. ; ad finem. Ibi enim docet, qvomodo Panerici ſeu Principum Laudes, qvomodo nuptianatalitiæ, funebres, gratiarum actiones, gratoriæ, monitoriæ, & commendatoriæ & alliæ ımodi generum orationes conſcribendæ ve- ıt. Ad ea igitur præcepta ſi in hujusmodi tionibus componendis crebrò & diligenter rceas ingenium, facilè vides, egregiè ſane ad ıventiam te poſſe proficere. Multum verò

hic juverit lectio Orationum ſeu Concionum, qvæ apud Hiſtoricos leguntur. In qvibus & variæ res,& conſilia, diſertiſſimè explicantur, qvorum magnus uſus venire tum in aula ac qvotidiana conſvetudine, tum in conſiliis negotiisq; Principum poteſt. Qvod ſi ſat temporis ſuppetet,ad veteres juxta & noſtros legendos,è tua re maximè feceris,ſi in utriſqve fueris diligens. Sin ad id ſatis otii non habes,id reſtat, ut præcipuos ex noſtris manu aſſiduâ verſes. Nam qvia noſtra,non peregrina,non vetera atq; ab uſu remota tractant; eò nobis commodiores & aptiores duci debent.Ex iis verò Thuanum tibi cum maximè commendo qvi ſine affectatione ſcripſit,& eleganti civiliq; orationis genere utitur, hoc eſt, qvod viro politico maximè convenit. Qvod ſi orationes, qvæ in Hiſtoriis ejus leguntur,pro tribus cauſarum generibus,diſtribuas, atqve in Indices certos redigas,ſummaq; capita & rationes eorum,qvæ dicuntur ibi,annotes,ut reperire ſtatim liceat, qvibus opus ſit, præclaram ad Eloqventiam ſupellectilem comparaſſe tibi videaris. Habes, SCHÖNBERGI Nobiliſſime, qvæ meditanti mecum in mentem venerunt. Qvæ ſi uſui tibi futura ſint,vehementer lætabor: ſin tua ſpe longè inferiora experieris,gratum tamen erit, hanc tibi gratificatam operam fuiſſe. Vale, Nobiliſſime Vir, & age feliciter. Wittenbergæ d. XXVI. Januarii anni cIↃ IↃc LXI.

XLVI.

XLVI.

Jacobo Fabritio

S. P.

Vantum tibi debeam, qvi tam benevolè fi-
lium meum complecteris, tam benignè atq;
lixè, qvà commendando, qvà intercedendo
eo apudSereniſſimumREGEM, res ejus cu-
intelligo qvidem ſatis rectè,ſed qva laudare
ıè ratione, aut,qvas mereris, referre gratias
am,id nullus diſpicio. Interim premes in-
ıtum animi,favebisq;, ut ſemel cœpiſti, filio,
ſine exceptione eſſe beneficii tui totus cupit.
od qvidem majore ambitu abs te petendum
ſtimem, ſi morum tuorum gravitati & ſancti-
diffiderem,aut parum notum haberem,qvàm
m doctiſſimus juxtà & humaniſſimus ac
nes juvandi cupidus eſſes. Qvam laudem,
emel feciſti propriam tibi; ita eripietur nun-
ım, & ad poſteritatem etiam intemerata per-
iet. Qvod & qvid conferre nobis fas erit,
enter hoc tibi & meritò,&qvantum poteſt,di-
ntet præſtabitur. Ad inſperatos Svecorum
ceſſus hærent omnium animi,anxiiqve expe-
nt,qvem exitum tandem habitura ſit expedi-
tanta. Nam & ab Imperatore magnæ dictan-
contractæ copiæ, & jam movere eas in ho-
m. Qvanqvam & iſtud afferatur, Pannones
tos occaſione,&ut ſunt mobiles animis,neſcio
id moliri novi: & Tranſilvaniæ Deſpotam
m non contemnendo exercitu ad fines Hun-
riæ conſediſſe. Qvicqvid ſit,neſcio qvid in-
ns & inuſitatum agitare Numen, tot prodigia

Portentaqve & monſtra palam arguere videntur atqve addicere. Qvæ ut in pacis hoſtes & turbatores qvietis expetant, DEUM veneror & rogo, tum ut te clementiſſimè cum tuis etiam tueatur qvàm diutiſſimè & ſervet.

XLVII.

Chriſtophoro Colero S. P. AUG. BUCHN.

Clariſſ. Vir, poſtqvam deditione Sveci ceperunt Lipſiam, verſusqve Bohemiam copias ſuas inſtiterunt ducere, non nihil recreati ſumus. Nam antè creberrimis nuntiis afferebatur, deſtinatum in nos eſſe fulmen, qvod Lipſiam non tàm afflavit, qvàm tetigit atqve percuſſit. Itaqve omnia non inqvieta tantùm, ſed & formidine ac ſolicitudine plena erant. Sed aliam mentem iis Deus indidit: Cui ſicut hactenus ſingulari curæ hæc Academia, ita nunc qvoqve maximæ fuit, eritqve impoſterum, uti ſperamus atqve confidimus. Cujus animi ne fruſtra ſimus, ipſe faciat. Interim cives noſtri non parum perpeſſi damni ſunt, horreis extra oppidum, & univerſo ſuburbio æqvatis ſolo. Qvæ clades & hortos viciniores afflixit, arboribus circumqvaqve ſucciſis, qvæ omnia ſola neceſſitas excuſat. Si qvid de noſtro Tzſcherningio habes, qvæſo ſignifica! Valdè deſidero ſcire, ubi & qvidnam in præſenti & qvàm benè agat. Vale.

XLVIII.

XLVIII.

Ad qvendam magni nominis *Theologum.*

QVod ad ignotum hominem ſcribis, humanitas ſingularis eſt. Qvod ei commendas filim, opinio perhonorifica. In excelſo poſiti eſtis ntiſtites: & qvantum cœleſtia æternaqve (qvæ rocuratis) terrenis caducisqve præſtant; tanım & Sacerdotum culmen ſupra aliorum ſtaım attollitur. Ex eo itaqve cum in ſubjecta ta ac plana demittis te, locuturus Buchnero, vid facis aliud, qvam te oſtendis humaniſſiıum? Jam in commune Parentes cum ament lieros, teneri me complectuntur tamen, qvos ıa veſtigia paribus paſſibus videant ſeqvi, & væqve egregia clariſſimaqve minari. Talem aqve filium cum meæ commendas fidei, manam profecto morum meorum fiduciam habes. ſeqve enim tam pretioſum theſaurum credeɜs, niſi qvem optimum penè putare poſſis, atve leligere qvidem benigniora egregiorum viɔrum ſuffragia facile poſſunt, qvod non parum ıcit ad laudem: mereri autem ac ſuſtinere rduum maximè ac perdifficile eſt. Sed mihi ut prodendus eſt pudor, aut tibi implendaɔes, qvam de me ſemel concepiſti. Qvod videm ne grave ac onероſum ſit, filii tui dotes irtutesqve præclaræ efficiunt. Qvantum enim egotii limare illum, qvem ſua jam ante ipſius olivit induſtria? aut commendare bonitatem ximiam & ſponte ſe ingerentem omnium ocuſ ornare eum ac promovere, qvi laude omni at-

qve honore jam dudum dignus? Faciam igitur, qvod petis, & ſedulò qvidem, & qvàm prolixè id poterit fieri, faciam: ne aut inhumanus videar in tam effuſè humanum; aut tam amicè atqve benignè ſentientis de me parvi æſtimaſſe judicium. Maximum ſemper qvidem habui, me conſcientiæ meæ probari ritè; ſed ſi præclaris viris etiam placere potero, nōn leve habebo vitæ ſolatium. Vale.

XLIX.

Nomine Studioſi alicujus.

Magnifice Domine Rector,

cæteriqve Academiæ Patres conſcripti, Domini, Præceptores, ac Patroni æternum maximè colendi.

EXimium beneficium, qvo ſuperiori anno tenuitatem meam liberaliter affeciſtis, erogato qvinqve & viginti Imperialium ſtipendio, mente agnoſco gratiſſima, meritoqve concelebro. Dici enim non poteſt, qvid ſubſidii ejus momento allatum ſit ad literarum bonarumq; artium ſtudia commodiùs tractanda. Qvæ qvidem plurimum detrimenti cepiſſe, neceſſe fuit, cum ex præmaturo B. Parentis obitu, tum calamitatibus aliis, qvas commune malum, vis furorqve belli rebus noſtris dederat ſane ingentes. Itaqve pro certô exiſtimabitis, ſi absqve beneficentia veſtra ſiet, ac niſi impoſterum miſeriæ noſtræ atqve egeſtati, etiam in vulgus notæ, ſubveniatur, parum nobis ſpei relictum iri ad maturitatem qvandam liberalioris doctrinæ conſeqvendam. Qvæ ſi negetur, video periiſſe propemodum, qvicqvid impenſum hactenus aut operæ Muſis

ſuſis fuit aut ſumptûs. Certè qvidem nihil lu-
lenti egregio publico promittere licebit. Qva-
ſicut pro inſigni benignitate veſtra vobis o-
nibus, Patres Academiæ conſcripti, Patroni æ-
tèm ſuſpiciendi, gratias ingentes ago & habeo:
a qvibus poſſum precibus, obnixè & perqvam
everenter vos oro & qvæſo, faveatis porro
uic homini, & deinceps qvoqve ejus, qvi in-
unificentia veſtra multum præſidii locare cœ-
it, rationem habeatis. Et qvoniam auctoritate
eſtra in alium conferetur ſtipendium, qvo per
nius anni tempus ipſe frui permiſſus ſum, cu-
am cogitationemqve benevole, mea cauſſa ſuſ-
ipite, ſi qvid alia via derivari in uſus meos, ve-
ris auſpiciis, qveat. Id enim, ſi rectè memini,
nte annum, cum mihi argenti jam accepti co-
iam faciebatis, pro Veſtra in nos egregia hu-
nanitate atqve amore ſpondere nobis ac polli-
eri videbamini. Qvod ſi deſiderium noſtrum ſi-
nul, ut confido, compleveritis, dabo qvidem o-
eram ſedulò, ut veſtris tot tantisqve officiis non
lane indignus habear, atqve in literarum virtu-
umqve indefeſſo ſtudio ingenii mentisqve ner-
os pro virili contendam. Cæterum pro Veſtra
mnium ſalute atqve incolumitate perpetuo ex-
itabo pietatem meam, obſervantiæ erga vos
neæ cultusqve conſpicua ſemper teſtimonia da-
urus. Deus communi omnium bono Vos diu
onſervet; ſcribeb. Wittenbergæ, &c.

L. Fri-

L.

Friderico Günthero

S. P.

NEſcio ſanè, utrum mirari magis an dilaudare bebeam; tuamne ipſius humanitatem, GÜNTHERE AMPLISSIME, an literarum tuarum præſtantiam? Qvibus ut nihil elegantius, gravius, ac eruditum magis dari poterat, ita & cum filio meo te exhibuiſti hactenus; & in poſterum benevolentiam tuam ac ſtudiũ eidem polliceris; ut aut promittere verbis prolixius, aut, qvæ promiſeris, præſtare opere vix qvisqvam qveat. Sed neutrum tamen, ut in præſenti apud te, & ſicut merebatur, prædicem, morum tuorum atq; judicii gravitas facit, qva beneficiorum, qvæ confers, fructum non tam in laude & gloria, qvæ tuam virtutem ſemper, ut umbra corpus, conſveverunt ſeqvi, qvàm in memoriâ & conſcientiâ pietatis ponendum putas. Qvapropter malo his apud alios potius, qvam ipſum te fungi partibus, & ita me comparare deinceps ſemper, ſimul & adulationis ſuſpicione ut liber ſim, & ſimul officio grati ac bene memoris videri ne poſſim defuiſſe. De Naudæo qvod ſcribis, placere tibi ingenium hominis & πολυμάθειαν, judicio verò meo accedere utiq;, ut gratũ fuit legere, ita multum me tibi obſtringeres, ſi qvæ obiter tibi videbantur, ſine incommodo tuo, per otium (ſi qvod concedunt graviſſimi muneris partes) literis explicare inſiſteres: atq; vel confirmares opinionem noſtram, qvæ diſſentit ab eo, vel qvod ſtatuendum nobis demum ſit, homo civilis prudentiæ

cal-

allidiſſimus & πολιτικώτα]ος planè, edoceas.
De publicis ita habe: Stupere plerorumq; animos
n tantis Svecorum ſucceſſibus, hærereqve qvo
evaſura talia incrementa ſint. Namq; etiam po-
itos Bregâ fama nunciat, & Cæſareanos in Mora-
ia nonnulla clade affectos, eadem ferit: qvi in-
gentes contrahere undiqve copias perhibentur.
Qvid nunc de Pannonum motibus, qvid de De-
pota Daciæ, qvi ad Ungariæ fines cum juſto ex-
ercitu confidens (ita enim ferunt nuntii) novos
errores noſtratibus affert? Qvid de prodigiis
cœleſtibus; de tot oſtentis ac monſtris memo-
em, qvæ non obſcure inſignem converſionem
erum videntur ſignificare. Sed qvicqvid po-
eſt timeri, in hoſtes & inimicos pacis convertat
DEUS, & nos, poſt tantas, & tam horribiles tem-
peſtates in tranqvillum ſtatum, feſſos & ultima
ermè perpeſſos, benignè reponat.

LI.

Joachimo Morſio

S. P.

AT qvasnam tibi gratias referam? qvibus lau-
dibus veham ac prædicem tuum officium,
qvo me ſuperioribus annis, Ampliſſime Vir, af-
eciſti? Non ſatis erat donari me variis opuſcu-
is abs te cum magno literarum fructu editis, ad-
ebas & varias lectiones in Prudentium, ex Lin-
enbrochiano codice deſcriptas atq; extructas.
Qvid nunc de Statio & Poëtarum veterum fra-
gmentis dicam, qvos libros, ut mea juvares ſtudia,
non modo ſuppeditâſti promtè, ſed tanto apud
me hærere & commorari tempore facillimè paſ-
ſus

ſus es? Video qvidem, Morſi Ampliſſime, qvanta tibi debeam; ſed qvânam ratione tot nomina paſſim expungere qveam, invenire ac comminiſci non poſſum. Romanis creditoribus licebat ducere debitores, ſi non poſſent ſolvere, & vinctos detinere in opere: ſi illud juris in me uſurpare volueris, tantum abeſt, ut reniti velim, ut potius illud ultrò tibi concedam, & ipſe adeo me tibi nunc ſiſtam & totum tradam: Sed libros miſiſſem jamdudum, ſi certò potuiſſet conſtare, ubinam locorum commorareris. Nunc cum id minimè potuit, tutius exiſtimavi retinere mecũ atqve ſervare, qvàm dubiæ fortunæ permittere. Effringio autem noſtro eò lubentius commiſi, cùm, qvod ejus fidem perſpectam haberem, tùm, qvod eum hominem noſſem in favore tuo atqve benevolentia multum præſidii ponere. Is igitur reddet. Abs te autem vehementer peto, Ampliſſime Vir, ut paucis verbis (ſi plura per occupationes, nec non ampliſſimi muneris partes, de qvibus tibi meritò gratulor, non licet) ſignifices, rectène tibi traditi. Nam apud me nihil omninò traxerunt vitii, qvippe qvos tantâ diligentiâ ſervavi, qvanta nemo alius res pretioſiſſimas poſſit. Et ſunt profectò hi libri κειμήλια mera. Plura volebam ſcribere: ſed & Effringius properabat, & eram aliàs, cùm iſta ſcriberem, occupatiſſimus. Si ſcire poſſem, qvo permittendæ literæ, ut recte traderentur tibi, & utrum id gratum tibi, vel crebro ſcribendum mihi ad te exiſtimarem. Nunc gratias tibi maximas pro libris ſuppeditatis ago, & illud vehementer peto, ut ignoſcere auda-

aciæ meæ, jam familiariter ad te, neſcio qvâ moris tui fiducia, ſcribendi, velis. Id tibi perſvadeas, nullum bellum tam triſte fore, qvod non n tuæ gratiæ ac amicitiæ ſpem ſim depugnaturus. Vale & me benevolentia tuâ atqve amore, Ampliſſime Vir, ne deſine proſeqvi.

LII.

Fori Nobilitatis I. D. à S.

S. P.

OB dotes virtutesq;, qvibus ornatus egregiè, multum meritò amo te, & niſi hoc improbum dicere, ut filium pater. Talem itaq; amicum ſi audire adhuc voles, qvæſo conſidera, qvid agas, & qvantum magiſtratui, qvantum amicis, & tibi ipſi deniq; debere poſſis. Magiſtratus Dei vicem gerit: & itaqve Deo reſiſtit, qvi magiſtratui dicto audiens non eſt. Amicis conſulendum omnino eſt, tuendaqve ipſorum ſalus, ſed qvatenus honeſtum fasq; eſt, & pietatem haud lædas. Amicum magis, qvàm Deum reſpicere, impium: amico conſulere, & ſuam projicere ſalutem, eſt in ſe ipſum crudelem eſſe. Hoc itaqve multum Te oro atqve obteſtor, cogita & omnibus modis fugiendū vitandumq; exiſtima, qvod iram procitet Numinis, qvod toto orbe nobiliſſimæ Familiæ offuſcet lucem, & tuæ ipſius exiſtimationi plurimum detrahat. Aliud conſtantia, & fides, aliud rigor atqve durities eſt. Atqve ex ſola virtute paratur decus & gloria, non qvod virtutis ſibi larvam aptat, & qvadam inani ſpecie honeſti magnis mentibus illudit. Vale Nobiliſſime S. & ſape tibi, qvod paternè & ex infucato affectu te monet &c.

LIII.

LIII.

B. G. Nüslero

S. P.

QVas ipſis Calend. Octob. ad me dediſti literas, Nüslere Ampliſſime, eas qvam belliſſimè mihi redditas, non eſt, qvod dubites: At alteras illas, qvas cum Coleri te conjunxiſſe ſcribebas, planè nullus vidi. Atqve Coleri qvidem cum rectè acceperim, potius exiſtimavi adhuc hærere apud ipſum, qvàm ut in viâ periiſſe metuam. Nam cum ille eruditiſſimus juvenis certus eſſet, mercatu ſuperiore ad nos excurrere, (ut & ſpem eam literis nobis fecit) retinuit ſecum, ſtatuens rectiùs ſe facturum, ſi ipſe redderet. Nunc cum mutarit ſententiam, factum arbitror, ut eæ hactenus minùs ad me pervenerint. Ita ego conjicio. Patruelem tuum plurimum amo, & qvâ poſſum benevolentiâ maximâ complector, mihiqve gaudeo oblatam eſſe occaſionem oſtendendi, qvanti te faciam. Itaqve planè exiſtimare debes, in nulla unqvam re ipſi aut opem, aut operam, aut & conſilium meum defuturum. Qvicqvid commodare ejus rebus potero, qvicqvid prodeſſe ſtudiis, id promte & perlibenter & ſedulò perqvam faciam. Nec qvicqvam mihi erit antiqvius, qvàm adjuvare ejus commoda, qvoad potero. Qvod ipſi ſtatim & cum legiſſem tuas, prolixè pollicitus ſum, & cum antè eum mihi Lipſiæ traderet Opitius noſter, amor Muſarum, qvem ut amplecterer reducem, eò excurreram. Monui autem illum tuum, ut ſingulis ſeptimanis ſemel ac iterum me conveniret, qvo nun-

m non nota mihi univerſa ejus eſſet ratio, & providere deinceps ei rectius poſſem. Sed eglexit facere hactenus: qvod tamen pudori ;is ac verecundiæ, qvàm alii ulli cauſæ malò ibere. Itaqve ſi qvid monendus, videbis ipſe. omnia ea diligenter præſtabo, qvæ & tu facta s, & qvæ tàm amiciſſimorum hominum com-ıdationi me dare par eſt. Ita plane tibi per-le. Valde videre aveo Latina amici noſtri mi poëmata, qvibus cur meum tàm invenu-ı nomen præſcriberes, cauſa non erat. Et ta-ı factum gaudeo: nam qvotusqvisqve non iat aliqvâ poſt mortem famâ frui? Qvàm un-ertius qvàm à te & noſtro illo Opitio expe-n? Sed cùm ignorem planè, qvas dignas tibi lam gratias, perpetuò officii debitor hujus Tu modo me porrò iſthoc amore comple-ıe deſine, & vale, mi Amiciſſime atq; Ampliſ-: Nüſlcre.

LIV.

Ægidio Strauchio,

S. S. Th. D. S. P.

Um omnibus, qvi tractant literas, qviqve meam operam ſibi profuturam exiſtimant, nter conſulere, & qvoad poſſum, eorum ju-: ſtudia ſolitus ſum, tum id præcipuè iis me-:re intelligo, qvi aut neceſſitudine aliqva at-unt me, aut qvorum parentes ſuo beneficio ſibi obſtrinxerunt. Nam niſi id facerem, puta-m certè, me noſſe parum, tum qvod officii ſit, tùm qvàm nihil deteſtabilius homine in-o. Qvod cum utrumq; mihi magnopere fu-

giendum eſſe ſtatuam, non potui non filiis tuis, perqvam R. D. adoleſcentibus ornatiſſimis & qvos ob ſingularem indolem & ſvavitatem morum mirificè amo atqve complector, promtè ac ſtudioſe adeſſe. Præterqvam enim, qvod jure affinitatis, de qvâ ſemper mihi gratulatus ſum, me plurimum illis devinctum intelligam, non ignorabam, qvantâ tu me benevolentiâ complecti ſolitus, qvàm incredibile tuum de me merendi bene ſtudium ſemper fuerit. Qvapropter cum longè plura atqve majora illis à me deberi exiſtimem, qvàm qvæ aut hactenus à me præſtita ſunt, aut forte impoſterum poſſunt præſtari, cauſa non erat, cur mihi tàm gravibus verbis ageres gratias, multò minus autem tam luculento ac eleganti munere me honorares. Utinam verò in me ejusmodi eſſet ingenium ac eruditio, aut ſaltem docendi dexteritas, unde excellens aliqvid atqve præclarum polliceri tuis poſſem, facerem certè, ut intelligeres, me & ipſorum promovendis commodis & referendâ tibi dignâ gratia nihil antiqvius habuiſſe: nunc cum ipſe ſatis agnoſcam, qvàm illa omnia in me perexigua ſint, valde vereor, ne ſi qvid profecerint in Latini ſermonis ac eloqventiæ ſtudio, id omne magis felicitati propriæ indolis, qvàm meæ induſtriæ debituri ſint. Sed qvicqvid fuerit, ita velim tibi perſvadeas, Rev. Dn. nunqvam me opera, ſtudio, fide atqve conſilio meo filiis tuis defuturum. Cumprimis in illis rebus, qvas te præcipuè velle cum ex ipſis tuis literis, tum ex fratre tuo V. Ampliſſ. atqve Clariſſ. qvē honoris cauſa nomino, accepi. Qvod tuum

n judicium de noſtris & purioris Latini-
ſtudio dici non poteſt, qvam confirmarit
& delectarit. Ita enim ſemper ſtatui,hoc eſſe
cipuum,in qvo juventus noſtra peccet, qvod
ia ferè præcipitat, & gradus nullos patitur,
,& prius ſapere qvam loqvi volunt addiſce-
Sic enim accidit, ut ſibi non tantum malè
ſulant,ſed & Reipublicæ ſæpe haud parum
ant detrimenti. Nam licet qvis plura, ea-
eximia, didicerit; cæterum ea digno ac de-
i ſermonis genere proferre neqveat,perindè
emodum ſit, ac ſi nihil didicerit. Ac
io,an ridendi magis ſint, an miſerandi poti-
li vitilitigatores noſtri, qvi faſtuoſo ſuperci-
oſtra deſpicientes ſtudia, ſe Realium titulo
ipaticè jactant. Qvaſi vero ex bonis aucto-
s, à qvibus tam Græci qvàm Latini ſermo-
puritas & elegantia pendet nil niſi verba ina-
& qvædam lenocinia ſermonis, & non unà
optimo & præſtantiſſimo dicendi genere,
herrimarum, graviſſimarumqve rerum co-
ionem haurire, ac diſcere liceat? Niſi qvis
timare velit,Plutarchum,Iſocratem, Tulli-
Livium & cæteros hujus Muſæ ineptos ho-
es & dicentarios tantùm,non verò & omnis
oſophiæ prudentiſſimos,&in graviſſimis ma-
iſqve Reipub. negotiis muneribusqve cum
imâ laude verſatos fuiſſe? ſed tanti non ſunt
omines, nobis movere ſtomachum debe-
inſultent Muſis,qvamdiu volent, & elegan-
um literarum impugnent nomen, nunqvam
è obtinebunt, qvod agitant, qvamdiu tu &

tui ſimiles pretium ſuum literis ſtatuent, earumqve cultores à contemtu & ſqvalore vindicabunt. Qvod ut facias, & me, qvo ſoles amore & benevolentiâ impoſterum complectaris, etiam atqve etiam rogo. Vale.

LV.

Ægidio Schurick,

Oſſitienſi,

S. P.

Literas tuas, mi Doctiſſime Ægidi, accepi, qvæ ideò mihi gratæ perqvam & acceptæ fuere, qvod guſtum facerent ingenii tui, recti illius & minimè publici. Pauci profectò hodiè ſunt, qvi humaniores iſtas literas ament, pauciores longè, qvi colant, qvi calleant verò, illi certè multò pauciſſimi, & vix unus & alter in noſtra hodiè Germania eſt, qvi literati ferè & eruditi nomen & gloriam jure ſuſtinere qveat. Cum enim hoc ſeculum noſtrum tropica qvædam invaſerit avarities, & doctior exiſtimetur, non qvi eruditior, ſed qvi pecunioſior ſit, ad lucroſas potiùs convolant artes, longeqve formoſior videtur maſſa auri, qvam qvicqvid Græculi Latiniqve ſapientes ſcripſere. Unde fit, ut non imperitis tantùm, ſed illis, qvi inter doctos cenſeri volunt, contemtim habeamur, tanqvam inutilium ſtudiorum ſectatores, & qvotidiano Grammatici & Logodædali convitio paſſim vapulemus. Qvæ tamen omnia de ſtatu nos deturbare non debent, qvin incentivo potius eſſe, ut fortius alacriusve in Seculi pugnemus barbariem, & utut ad eruditionis arcem non poſſimus aſcen-

dere, ad illam tamen ſemper anhelemus.
l qvidem nolim accipias, qvaſi in his ſtu-
ım, ut Plinius vocat, amœnitatibus totam
m conterendam putem. Peccant, qvicun-
l faciunt: certè enim nos altioribus debe-

At verò parerga eſſe debent, & uſurpan-
bis, ut vel præparemus animnm operi, vel
n gravioribus ſtudiis reficiamus. Rectè de
udiis Joſephus Scaliger, qvo viro nemo
or aliqvot ſeculis exſtitit, nec exiſtet facile,
reis illis & tantum non divinis Jambis:

ın te vetamus omnium per artium
ımpos vagari, qvatenus mentem tuam
l altiora præparant, non occupant.

l cogita, Ægidi, ſemper tecum & literas no-
ita cole, ut ne fraudem faciant illis, qvibus
riè te conſecratum deputo, Theologiæ ſtu-
Inauſpicato ille in Theologiâ verſatur,
tas negligit: & mala de Chriſtianitate me-
, qvi has unicè tractat. Cæterum ad con-
rſiam tuam, qvæ tecum cum Paſtore qvo-
uper vocabulo *alid*, qvid qvæſo ad meum
cinium provocas, qvum tanti viri te non
rint defendere? Cæterùm hoc unum re-
liſſe ſufficere deputem, cui Catullus, Sibe-
cidalius, at qvanti Viri? nullo loco ha-
ır, nec illum dignum, qvi aliqvo loco habe-
& cui illi malè locuti videantur, illum peſ-
le Latinitate judicaſſe videri! ſed age, ſi vis,
mus ad calculum & rationes putemus. Ver-
nia vel uſitata ſunt & paſſim obvia: vel in-
a & nota minus. Uſitatum τὸ *alid* eſſe non

 poteſt,

poteſt, nec enim offendiſſet, niſi ille aut imperitus inſigniter, & rudis, aut puer. Inuſitatum itaqve erit. Illa autem ſunt vel obſoleta, vel antiqva, vel nova. Nova ſunt ficta nuper aut jam facta. Græci πεποιημένα vocant. Tale Varronis & Ciceronis tempore fuit, *noviſſimus*, item *favor &c.* Sic Cicero finxit vocabulum *indoloria*, *mulieroſitas* &c. De iis Horatius in arte:

Et nova fictaq; nuper habebant verba fidem, ſi Græco fonte cadant &c.

Ejusmodi vero vocabulum *alid* non eſt: neqve enim vel nuper fictum, aut à Sibero Acidaliove prolatum tantum, ſed à Catullo ſemel, à Lucretio aliqvoties uſitatum, uti infrà dicemus. Obſoleta ſunt, qvibus qvidem antiqviſſimi Scriptores uſi, poſteriores verò abſtinuère, inde dicta, qvod nitorum omnem amiſerint, & deſita jam & antiqvata jaceant. Hujusmodi ſunt *dapatilis*, *duonus*, *topper* &c. Qvæ qvidem vetuſtiſſimi Poëtæ, Pacuvius, Actius aliiq; uſurparunt, puriores verò, Catullus, Virgilius &c. in totum ſpreverunt. De his intelligit Qvintilianus [hunc auctorem cum Lipſio arbitror] *de cauſ. corruptæ Eloq. cap. 20. Exigitur enim jam ab Oratore etiam Poëticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inqvinatus, ſed ex Horatii, & Virgilii, , & Lucani ſacrario prolatus.* At neqve ad horum claſſem pertinere noſtrum τὸ *alid* videtur. Alias enim nec à Lucretio, certè non à Catullo adhibitum fuiſſet. Non enim in caſcâ ætate, ſed in eâ vixerunt, qvâ lingva Latina ſummam puritatem & nitorem conſeqvebatur. Qvod ut nemo doctiorum

negat, ſub C. Julio Cæſare contigit. Qvia
re noſtrum *alid*, nec novum nec obſoletum,
itur, ut ad antiqvorum cenſum pertineat.
qva hæc voco, qvæ ab antiqvioribus qvi-
uſurpata, poſteà verò non penitus omiſſa,
rarius & veluti recondite ádmiſſa, ideo-
ſolis eruditis cognita, omni profano vul-
znota. Sic qvandoqve iis, qvibus Enni-
acuvius, Plautus, alii veteres olim, Virgilius,
atius aliiq; minores uſi ſunt. Qvalia ſunt
aulai, *camurus*, *poteſtur* &c. Antiqvum au-
alid eſt ratione Syncopes antiqvæ. U enim
itum eſt, ut apud Terentium *a*, cum *qvod* pro
ad bis poſuit. Solebant enim veteres non
tàm in principio, qvàm medio & fine non
ùm adjicere literas dictioni, ſed & detrahere.
us rei multa poſſem adducere exempla, niſi
a jam olim collegiſſet Nobiliſſimus literator
onius Popma *l. 1. de uſu antiqvæ locutionis*
& 5. Qvos Popmæ libellos aureos voca-
libi deliciumi eruditorum Barthius, & ele-
iæ veterioris ſtudioſis tenendos cenſuit tam,
n digitos ungvesq; ſuos. Neq; verò qven-
n Giſanii, aliàs eruditiſſimi Viri commovere
et auctoritas; qvi in præclaro illo Lucretiano
ce ait, *alis* qvidem pro *alius* dixiſſe veteres,
lid verò nullam factam mentionem. Itaqve
i omnibus illis locis, in qvibus Lucretius *alid*
iit, *aliud* ſubſtituit, & ut verſus admittat, ait
. veterum more, ſic & τὸ *s* exteri & elidi. Ut
Qvando aliud ex alio reficit natura nec ullã
Et Eod. l. *Sic aliud ex alio per te tute ipſe*
re, &c. ita & *lib. 3 & 5.* Nam ſi *alis* dixe-

re,qvod apud Catullum & Saluſtium legitur, qvorum loca inferius adducemus, cur non & *alid* dixerint, eadem enim ratio? Deinde Lucretio,*alid* non *aliud* legendum, tum omnes excuſi libri adſtipulantur vulgò, tum Lambiniana Editio,qvos ſeqvi malo, qvam qvos ille prætendit veteres libros. Præcipuè cum & τὸ *alid* apud Catullum in illo Epigr. qvo Mamurræ nomine Julium Cæſarem acerbiſſimè exagitat, ut rectè Scaliger reſtituit. Nam qvamvis in omnibus editis libris legatur: *Qvid eſt an hæc ſiniſtra liberalitas* ſciendum tamen Avantium hujus lectionis architectum,qvi primus edidit hos Poëtas, & inde in omnes Editiones irrepſiſſe. Cum tamen in veteribus libris & manuſcriptis & Scaliger & ante eum Statius,qvo nemo plures Mſctos habuit, teſtati ſic fuerint;

Qvid? eſt alit ſiniſtra &c.

Alit nempe pro *alid* veterum more, ut apud eundem Poëtam alibi: *qvot* pro *qvod*. Sic in veteri marmore Romæ: HOC. EST. SIC. EST. ALIUT. FIERI. NON. LICET. Qvod Statius adducit; qvi idem ſæpius τὸ *aliud* veteri Virgilii exemplo ita ſcriptum ibidem teſtatur. Qvod ſi ejusmodi vocabulis antiqvis veterum uti liceat, ut ſatis multi hactenus in ſcriptis publicis aſſeruere,& maximi qviq; veterum Poëtarum exemplo ſunt, cur non & *alid* in carmine tolerari poſſit? Tantum enim abeſt, ut carmen deforment antiqva ejusmodi, ut exornent potius atqve illuſtrent, tanqvam gemmulæ inſertæ. Ut enim nova gratiam Poëmati, ita iſta

majeſta-

majeſtatem & reverentiam, qvod & Fabius cenſet, conciliant. Sed modus in his adhibendus eſt: nam ſi crebrò (qvod nonnulli inepti homines faciunt, & dum undiqve antiqvas voces in carmina ſua corradunt, reconditæ eruditionis opinionem ſibi comparare arbitrantur) adhibeantur, obſcurant carmen, & talis ſcriptio inepta magis, qvippe affectata, qvàm erudita & magnifica videtur. Satis jam, ut puto, demonſtravi, qvale vocabulum ſit *alid*, nempe antiqvum, & qvâ ratione, item qvod ejusmodi vocabulis qvandoqve uti, ſed cum modo liceat. Probavimus qvoqve, opinor, id vocabulum tum in Lucretio, tum in Catullo exſtare, qvorum auctoritas à nemine in dubium vocari debet, cum circa optimam Romanæ lingvæ ætatem vixerint. Reſtat igitur, ut & illud evincamus, τὸ *alid* in carmine Elegiaco poni eſſe. Urget enim adverſarius, licet Catullus uſus iſtâ voce, tamen in carmine lyrico ſive carmine jambico uſus. Non omnes autem voces cuiqve carmini aptæ, ſed qvodqve carmen ſuo proprio ſermone fere gaudet. Eqvidem hoc & ego cenſeo. Nam qvi qvaslibet voces, qvælibet vocabula promiſcuè & ſine delectu in carmen admittit, profectò maximè peccat. Multa Epici carminis Mejeſtas excludit, qvæ Elegorum admittit exilitas: alia cothurnum Tragicorum, alia Comicorum ſoccum decent; qvâ de re Horatius & alii, qvi de Poëtica ſcripſerunt, jam olim monuere. Igitur Auctores accuratè legendi, & qvibus qvisqve in carmine ſuo utitur, diligenter obſervandum.

Ante omnia autem hoc in loco inter Elegias & Elegiaca diſcrimen faciendum. Elegias voco juſta carmina, in qvibus omnia Elegiaca, numerus, oratio, inventio: qvalia ſcripſere Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius; Elegiaca, Epigrammata, qvæ nihil cum Elegiâ commune habent præter numerum. In illis accuratâ dictione opus, qvâ uſi, qvi præcipuè olim in iſto genere valuerunt. In iſtis ita opus non eſt: Omnis enim Epigrammatis laus, argutia & brevitas. Dictio ſi Latina & urbana ac falſa, ſatis eſt. Si itaq; tuum carmen Epigramma Elegiacum eſt, cur non Latinâ & antiqvâ voce in eo utaris, qvo olim Jambicus Poëta uſus? ſi verò non eſt, longius enim, (qvanqvam ſatis longa Epigrammata aliqvot apud Martialem, nam brevitas indefinita intelligitur, ut Magnus Scaliger in Poëtica docet) ſed Elegia potius, probandum nobis, in Elegiâ qvoqve id vocabuli habere locum. Illud verò extra dubium dabit nobis adverſarius, illis vocabulis omnibus uti licere, qvibus uſi Elegiographi veteres: Inter illos verò qvin & Catullus cenſendus, qvis bardus, qvi dubitare poſſit? Nam illud ad Ortalum carmen, illud de Berenices comâ, illud ad januam, illud ad Mallium, non Elegiæ ſunt? Etſi idem iſte Catullus in prædicto de Berenices coma carmine, hoc eſt Elegiâ de Callimacho expreſſè *alis* pro *alius* dixit. Sic enim ſcribit:

Anne bonum oblita eſt facinus, qvod regium adepta eſt
Conjugium? qvod non fortior aut ſit alis?

qvem

qvemadmorum veteues libri habent, ut docet Statius, nec aliter ediderunt Muretus, Scaliger, Douza, Paſſeratius, & ita ad Lucretium qvoqve citat Lambinus (Nam qvod in vulgatis legitur

--- *Fortior auxit avis*,

extenſum plane ideoqve rejiciendum. *Alis* autem pro *alius* & Saluſtius dixit, cujus locum adducit Chariſius *l.* 2.) Cur non neutrum *alid* qro *aliud* dicere poſſem? Nam ſi neutrum excluſum eſſet, utiqve Maſculinum deberet eſſe excluſum. Accedit, qvod eodem vocabulo in eodem carminis genere uſus Acidalius (Siberus enim neſcio an in Elegiâ uſus: liber enim ille jam mihi ad manum non eſt) eruditiſſimus & juvandis literis natus. Qvi licet pro regula tibi eſſe non poteſt, confirmare tamen te poteſt. Svaderem autem veteres potiùs legas, qvàm novitios iſtos (qvanqvam & iſti nec abjicendi penitus) qvi in omnibus certe ſeqvendi ſunt, qvæ vindicare non poteſt, niſi in veterum lectione ſubactus. Nam ut de Acidalio tantùm dicam, vellem ut qvibusdam in ſuis carminibus abſtinuiſſet. Multa enim fortaſſe nimis antiqva & mera comica admiſcuit: & licet ex profeſſo *ἀρχαΐζειν* voluit, debebat tamen ita id facere, ne qvæ ab Elegiis aliena adhiberet. Sed noſtrum non eſt, de tanto Viro judicare, cujus profectò eruditionem ſemper venerari & admirari ſoleo. Haberem alia, qvæ hoc loci & objicere & monere poteram, ſed ego ſatisfeciſſe me puto petitioni: ad hoc Epiſtola jam nimio, qvàm crediſſem, excrevit. Si qva tamen forte ſuperſint, qvibus adhuc tibi aqva hæ-

reat,

reat,admone:faxim,ne & hac in parte tibi deſim. Certò enim tibi perſvadeas,qvicqvid à me ejusmodi petieris,impetratum iri. Nihil enim mihi gratius,qvàm juvare ſi poſſim eos, qvi rectum iter ad eruditionem decurrere inſtituerint. Qvod tu fortiter inſiſtere, & me amare perge. Vale.

LVI.

N. N.

S. P.

Diu eſt, cum nihil ad te literarum dedi, non qvod nihil habuerim ad te: nam reſpondendum erat ad ultimas illas tuas: Sed neſcio qvid hactenus ſcriptionem impedierit. Jam ad officium redeo, & ſpero, te mihi ſilentii hujus gratiam facturum. Ad Inſcriptiones. Eqvidem nihil rari aut ſingularis. Deſcripſi olim eas, & librum Inſcriptionum N. Rhebyſchi Cæſarei olim Conſiliarii. Qvem librum apud Michaëlem Waltherum ſtatuarium inveni. Dixit is Danielis Kellerthaleri aurifabri eſſe. Inde ipſum librum accipere potes. Ego enim relegi tantum, nec omnes deſcripſi: Cæteras ut Phil. Melanchthonis, Lutheri & aliorum omiſi. Omnes enim apud Gruterum habentur. Si tamen aliunde tibi copia fieri non poſſit,& rem urgeas, certè me non invito ad te perferentur. Mitto hic qvædam mea. Carminis in Pentecoſte P.P. plura miſiſſem exempla, ſed ille Germanus noſter nimis pauca excudit. Ego certè typis excuſum exemplum non habeo. Schurerus noſter novam Virgilii in octavo editionem adornat. Qvæ ut emendatior ſit & magis è re juventutis, petiit à

me,

me, ut ex Taubmanni Commentario potiſſima decerperem, & breviores qvasdam, ſed perpetuas notas concinnarem, qvæ in margine ipſi textui apponi poſſent. Placuit conſilium, conditionem accepi, & in deflorando Taubmanno jam totus ſum. Bucolica ferè abſoluta ſunt. Si qvid habes, qvo meliorem editionem fieri poſſe autumes, qvæſo mone. Operæ incipient circa Johannis. Vale.

LVII.

N. N.

QVod melioribus peregrinantium moris, ut viros ejusmodi, qvi eruditionis laude alios excellunt, & ſubvecti melioris ingenii alâ paulò volarint altius, adeant, ſalutent, amicos parent: Id qvia coram non poſſum, per literas hactenus facio. Nec infeliciter res cecidit. Qvamvis enim vix σκιᾶς ὄναρ ad pondus qvorundam comparatus, non tamen faſtuoſè faſtidierunt affectum meum: ſed majore longè, qvàm ſperare poteram, facilitate amicitiæ fores mihi verecundè pulſanti, aperuerunt. Qvò qvisqve enim eruditior, eò humanior; Contrà & ſolet ſuperbia fere non niſi in imperitorum animis habitare. Qvapropter cum mihi de tuâ illa eruditâ doctrinâ, qvâ inter non vulgares Seculi noſtri literarores meritiſſimò cenſeris, abundè ſatis notus laudatusqve ſis, non potui non eundem te & humaniſſimum certè præſumere. Itaqve nihil veritus ſum literas has ad te dare, iisqve aditum parare mihi in tuum illud literarium adytum ſubire penitius & Virtutem tuam atq; doctrinam pro-

pius advenerari, Non eſt, de qvo me commendem tibi, qvàm literarum amor & bonæ mentis ſtudium. Qvæ qvia amas, certè & me amabis, ſpero, nec arcebis à Sacris tuis ut vanum & perverſum vulgus. Cæterum diu eſt, qvod videre aveo Boëthium & Rutilium tuum. Diligenter illos apud Bibliopolas noſtros qvæſivi, neutrum inveni. Et qvamvis ſæpè ſolicitaverim, Francofurto afferrent, tamen fruſtra fui. Habent enim ſemper frivola qvædam, qvæ cauſentur. Si igitur apud vos inveniendi ſunt; aut ſi tibi unum atq; alterum eorum exemplar domi, facito, qvæſo, ut vel meo ſumtu vel tuo munere habeam. Qvicqvid horum fuerit, me beabis certè, meq; tibi non vulgari modo obnoxium reddes. Rutilium non ità pridè evolvi, ut Panvinius edidit, bone Deus! qvam malè interpuncta plurima, qvàm corrupta! Qvorum etſi nonnulla emendâſſe mihi viſus ſim, planè tamen perſvaſum habeo, omnia ab induſtriâ tuâ occupata, & longè meliùs reſtituta. Præſertim ſi à libris veteribus, qvod non dubito, inſtructus fueris. Vale, Clariſſime Vir, meq; porrò in amicitiam admitte; qvi ego te ita amo, colo, æſtimo, ut pro capite tuo nihil defugiam, nihil detrectem.

LVIII.

Dn. Heinrico à Friſen
S. P.

Etſi amator mei nunqvam ero tam vanus ac demens, ut auſim mihi tribuere ailqvid, qvod ſummorum Virorum amore ac ſtudio dignum videatur; tamen abs te, HENRICE No-

Nobiliſſime, egregium planè & ſingulare præſtari nobis benevolentiæ genus, & ſæpè gloriatus antè ſum non vanis ductus rationibus, & nunc ex literis proximis tuis ita didici, ut nullum illuſtrius certiusq; documentum ejus rei dari poſſe exiſtimem. Qvæ res ita me in hac calamitate communi fortunaq; Patriæ, qva nihil triſtius & infelicius vel cogitari ſaltem qveat, affecit ac recreavit, ut qvi jacebam penitùs paulò antè, ac neſciebam prorſus, qva ratione has truculentiſſimas tempeſtates, qvæ indies nobis magis magisqve incumbere, & qvod noviſſimè metui ſolet, jam intentare propiùs videbantur, emergere liceret; ingentem illicò optimæ ſpei copiam ceperim, qvæ nihil hujusmodi opinantem animum & velut indormientē miſeriis ſuis, ſic excitavit atq; erexit, ut non contemnere auderet tantùm impugnantis fortunæ tela, ſed & victoriam ipſam & profeſſam ſalutem ſe manu tenere propemodùm exiſtimaret. Qvid ego petierim maximè; qvò noſtra contenderint vota hactenus, neceſſe eſt minimè oſtendere plurimis: Cum ipſe minimè ignores, qvam ab ambitione non modò, ſed avaritia etiam abſim, & literato hoc otio, ubi nulla imponatur neceſſitas qvid contra animum faciendi, nihil beatius ac præſtantius ſtatuam, contentus parvô & minimè omnium φιλαύτιος; adeò ut qvod in ipſâ copiâ nonnulli & anteqvam dura neceſſitas urgeat, facere pro prudentiâ habent, id arctis rebus etiam, & cum fortuna infeſta non tam minatur, qvàm ferit, vix mihi conceſſum arbitrer eſſe. Hoc inſtitutum noſtrum igi-

igitur,ſi & deinceps ita liceret premere,næ,non dicam in ſordes,ſed manifeſtam miſeriam ac egeſtatem incidendum eſſet; nec qvicqvam qveſtus eſſem in ſinu tuo proximè,neq;adhuc deliberandum veniret nobis, qvæ ineunda tandem ratio,qvâ fortunarum noſtrarum ruina inſtaurari nonnihil poſſint. Tres annos integros nihil pecuniæ, qvæ locô ſtipendii redit, accepimus: fallit & frumentarius canon:adhæc pauciſſimi adoleſcentes huc ſtudiorum gratia veniunt,& pleriqve cum venerint, mox dilabuntur. Qvô neceſſe eſt fieri,ut publica auditoria non modò in ſolitudines cum tempore abeant; ſed & privatæ ſcholæ frigeant valdè aut nullô propêmodum emolumentô inſtituantur. Iis cumprimis, qvi impetrare ab ſe non poſſunt, ut ponant frontem & impudentiam induant, licet Homericum carmen haud ignorent:

αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ προΐκτῃ.

Trimeſtre integrum impendi interpretationi L. Ann.Flori privatæ. Sed Einſidelii niſi fuiſſent, planè araſſem littus: cum præter illos ſanè qvàm pauciſſimi mercedulæ aliqvid ſibi numerandum putârint. Et multis non erat copia, qvibus ultrò feci gratiam,qvi nemini temere & mea ſponte gravis eſſe ſoleam, benevolo animo contentus. Qvæ itaq; nobis præſidia ſupereſſe poſſint tamdiu cum difficillimis luctatis temporibus, & nunc annonâ graviſſimè laborantibus, cæterùm omnis qvæſtuariæ artis longè ignaris, facilè vides,qvem minimè latet,in magnâ uberiq; re nos nunqvàm fuiſſe. Ac hæc cum ita ſint, & illud per-

perſpicis, neceſſitatem contrahendi æris alieni nos minimè omnium potuiſſe effugere. Sed cum obſtrictum eſſe nominibus ingenuo ac liberali homini nunqvam non acerba ſervitus ſit, tum qvidem cum maximè eſſe ſolet, cum minus adeſt ſpei, qvâ liberari poſſe cenſeas; & illi durius atqve iniqvius flagitant, qvi crediderunt. Neqve verò falſus eris, HENRICE, ac vanus animi, ſi qvicqvid auri argentive facti hactenus liberalitate Principum aliorum ad me pervenit, id maximam partem oppignoratum eſſe putes. Ut pauca omninò ſuperent, unde ſupremi alicujus caſus ſolatium peti qveat. Qvod ſi perſonam meam tantùm hæc procella qvateret, ferre aliqvantò leniùs hanc ſortem meam poſſem; nunc cum tot liberorum capita, tot affectus chariſſimi eodem mecum jactentur turbine, & filiorum cumprimis ſtudia peſſimè affligantur, eo exacerbatur magis dolor, qvò plures ſunt, qvi eum incendant. Qvo in me animo, qvâ voluntate egregiâ & Dominus Metſchius ſit, & Generoſus Dn. Pater tuus, præcipue experimentis didici: Ita nunc, qvæ ipſorum gravitas atqve conſtantia eſt, eò minùs de prolixâ eorum affectione dubitare fas eſt. Jam Principes ipſos non planè nos indignos habere, qvos in parte gratiæ ſuæ ponant, multum ad erigendos nos momenti habet. Sed cum hæc tempora video, cum mecum recogito afflictiſſimæ Patriæ ſtatum, intelligo facile, non tam bonorum nobis favores ac ſtudia, ſed opportunitates rerum deeſſe, & qvò plus animi & voluntatis egregiæ, hoc facultatis ac copiæ poſt

I tot

tot immenſas clades, qvas paſſa eſt Patria, adeſſe minus. Qvæ res etſi labantem aliàs & vacillantem animum eò dejecerit, ut qvo minus domi & in propinqvo ſpei videbat reliqvum, hoc longiùs extenderit aciem, & peregrè ſibi promitteret, qvod non ſuo, ſed fortunæ vitio patria negaret. Ratus, hoc nemini eſſe fraudi, ſi ex naufragio enatare in aliqvod littus proximum poſſet. Ac niſi mihi vel ipſe blandior, aut fallunt amici, putârim eqvidem, me vel in Dania vel in maritimis civitatibus nidulum aliqvem haud difficulter reperturum, in qvo componere, qvod reliqvum vitæ, in literis, & reqviſcere à laboribus jactationibusqve meis poſſem. Interim tamen ſic mea perpetuò ratio fuit, ut non ante diſcedendum mihi exiſtimarem ex eo loco, in qvo nec obſcuriſſimus vixerim hactenus, & tot Illuſtrium Summorumqve Virorum favore ac benevolentiâ niterer, niſi comſumtis præſidiis omnibus ſpes ipſa noviſſimè nos qvoqve relinqvat. Is minimè ſum, qvi parvo contentus eſſe neqveat, & rerum uſum non naturæ neceſſitate, ſed cupiditatis atqve libidinis modo æſtimet. Atqve hac ratione cum animi mei morem compoſuerim dudum, non ſane ſubſidiis improbis opus eſt, & qvæ invidiæ fuerint: ſed pro hac mediocritate rerum, qvâ acqvieſco, vel modica etiam ſufficient. Qvæ conciderunt ex vaſto, late fundunt ruinam; inſtauraturqve difficilius, qvicqvid initio ingens fuit; Parva ſicut conſtructa ex facili; ſic reparari, ſi qvam perpeſſa ſint cladem, non tantum negotio minore, ſed leviore impenſâ etiam poſſunt,

Vides

Vides HENRICE NOBILISS. qvo loco res noſtræ poſitæ, qvod nobis conſilium ſedeat. Cujus ſicut me pœnitere hactenus non potuit, (cum reprehenſione, uti opinor, facile careat) ita hoc me ſolatur maximè, qvod in hoc tempus non culpâ meâ inciderim. Cæterum

Ferre qvam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſet.

Qvod reliqvum eſt, DEUM veneror, ut dubias nutantesqve Patriæ res ordinet atqve ſtabiliat, ac optimas veriſſimasqve rationes eorum aſpiret mentibus, qvi præſunt rebus, ſalutisqve & incolumitatis publicæ gubernacula tenent, ſecundiſſimosqve pro re communi conſultorum ſucceſſus largiatur; Tibi verò, HENRICE NOBILISS. hunc tam benevolum ac ſtudioſum erga me, tam invigilantem meis commodis & pro ſalute noſtrâ ſolicitum animum perpetuò eſſe velit. Ut qvem unice hactenus in loci hominibus, ob ſummas ac inuſitatas animi dotes virtutesqve majores ſeculo, amavi juxtà & admiratus meritò ſum, hunc ego impoſterum ſoſpitatorem etiam rerum mearum, hunc fortunarum vindicem, imò auctorem colam ac venerer: Tum qvicqvid fuero, qvicqvid in publicum patriæqve præſtitero (ſi tanta nobis fiducia de imbecillitate ingenii noſtri venire poteſt) tibi omne ac totum debeatur. Vale.

LIX.

N. N.

S. P.

NUllum mihi dubium eſt, antiqviſſimos Chriſtianos, qvum templa publica nondum haberent, ad ſepulchra martyrum & ſuper ipſis eorum tumulis, uti orare ſolitos, ita & cætera, qvæ ad rem divinam & rationem Sacramentorum pertinent, peregiſſe. Inde enim factum poſtea arbitror, ut iis in locis, ubi ſancti illi Heroës paſſi eſſent, templa extruerentur, eorumqve oſſibus & cineri altaria & baptiſteria ſuperimponerentur. De altaribus res clara ex Tertulliano adverſus *Gnoſticos*, Ambroſio *lib. X. Epiſt. ult. in fin.* Prudentio aliqvot locis; ut *Hymno Laurentii v. 515.* & *Hymno Hippolyti v. 170. & ſeq.* Item *Eulaliæ in fine.* Plura de hoc ritu etiam legere licet apud B. Paulinum *Epiſt. XII.* qvæ ad Severum Sulpitium ſcripta eſt, & tota agit de Baſilicarum ſtructuris. De Baptiſteriis teſtatur Prudentius *H. XIII. περιςεφ.* Item Ennodius Ticinenſis *Ep. XX.* Ex qvibus conſtat, qvàm aptè illum vexatiſſimum locum Apoſtoli 1. *ad Corinth. c. XV.* ille Lutherus noſter interpretatus ſit. Qvum dicit is & arbitratur, illis verbis Apoſtolum ſignificâſſe, qvosdam ſuper tumulis mortuorum baptiſmum inſtituiſſe. Faceſſant itaqve, qvi ſibi perſvaſere hactenus, eam ſententiam ex Antiqvitate Eccleſiaſticâ probari non poſſe. Qvæ certe niſi ipſius Apoſtoli eſt, ei tamen proxima eſt. Reliqvorum enim omnium argutari potius, qvàm ad verum collimare videtur. Unum Scaligerum

exci-

excipimus, qvi certè & ipſe non male de hoc loco meritus videtur *Notis in Nov. Teſtam.* Putat autem Scaliger inter alios errores pravasq; conſvetudines & hanc fuiſſe, ut qvidam pro mortuis baptiſarentur, perſvaſi refrigerium exindè habituras animas, qvas in centro terræ poſt exceſſum ex corpore omnes velut in carcere detineri & exſpectare judicii diem erroneâ opinione adducti credebant. Qvamvis autem hunc baptizandi ritum non probet Apoſtolus; tamen ex eo ipſo mortuorum reſurrectionem adſtruit, & ſuo ſibi gladio illos jugulat, qvi eam negabant. Q. d. ſi baptizantur qvidam pro mortuis, ut refrigerium habeant in die reſurrectionis, qvomodo ſui obliti à ſe diſſentiunt & reſurrectionem negant? Hæc illius eruditiſſimi Viri ſententia eſt: qvam Tertulliani antiqviſſimi Patris potiſſimum auctoritate confirmat. Qvi *lib. 5. in Marc.* (Scaliger memoriâ lapſus qvartum citat) *c. 19.* clariſſime innuit, eum ſuæ ætatis ritum in Eccleſia obſervatum: ut annuâ die, Kalendis videlicet Februarii, baptizarent pro mortuis. Ubi ſimul exponit qvoqve, cur Kal. potiſſimum Februariis id fieri ſolitum. Digniſſima ſunt, qvæ videantur, qvæ ibi miraculum illud Eruditorum ſuper hac re longè plura diſſerit. Nam nos ſententiam ejus breviter & per compendium expoſuimus. Qvæ qvidem eò veriſimilior mihi videtur, qvod & aliàs Apoſtolus iſto artificio uſus, ut ipſas idololatrias & ſuperſtitiones eorum, cum qvibus agit, in argumenta convertat, qvibus Chriſtiani Sacramenti

capita firmet & adſtruat. Ita enim in Actis ex Atheniensium Idololatriâ & cultu ignoti DEI veri & omnipotentis DEI cultum iis præcipit & monſtrat. Sicut alia plura Corinthii partim ex Judaiſmo, partim ex Paganiſmo in Chriſtianos ritus invexerant, ut alibi docet Apoſtolus; ita & hoc qvoqve indè traductum, multa ſunt, qvæ ſvadere videantur. Certè Paganos plura de animarum luſtrationibus apud inferos commentos eſſe, & pueri norunt. Sicut itaqve Pagani piaculis & luſtrationibus impetrari putabant, ut manes mortuorum pacarentur atqve qvieſcerent: Ita illi Corinthii qvoqve baptiſmum mortuis profuturum exiſtimabant: ut qvi in luſtrationum gentilium locum eorum opinione ſucceſſiſſet. Qva ratione & fieri potuit, ut baptiſmus iſte Menſe Februario, ut ex Tertulliano conſtat, perageretur. Hoc enim Menſe Februa & luſtrationes paganorum peractas & nomen indicat, & Ovidius in Faſtis aliiqve complures atteſtantur. Qvanqvam Chriſtiani aliam cauſam habuerint poſteà celebrandi Baptiſmatis hoc menſe: de qva luculenter Scaliger. Sic & illum ritum geſtandi Lumina in purificationis Mariæ Feſto, qvod in initium Februarii incidit, ab illis luſtrationibus & Paganorum Februis eſſe, diſertè teſtatur Eligius Noviomenſis Epiſcopus *Homilia II.* Fuerunt & plura alia, qvæ è paganorum ritibus in Eccleſiaſticam obſervationem derivata: de qvibus Caſaubonus contra Baronium, & alii Viri docti jamdudum monuerunt. Qvicqvid ſit, nihil iſte locus Apoſtoli Pontificios juvat. Non enim

enim probat hanc conſvetudinem baptizandi mortuos apud Corinthios, ſed ex ea coarguit reſurrectionem negantes, ut ſupra diximus. Sive ut Ambroſius hic ſcribit: *Exemplo hoc non factum illorum probat, ſed fixam fidem in reſurrectione oſtendit.* Hæc in tuæ gratiæ ſpem, Reverende Compater, raptim & uti incidebant, notare volui. In qvibus tamen nihil eſt, qvod laudandum habeas, qvàm qvod probare Tibi ſtudia mea fui anniſus. Vale.

LX.
Jano Seusſio
S. P.

EA eſt excellentium mentium natura, ut ſe natas exiſtiment ad juvandos homines, nec ſatis habeant affeciſſe beneficiis, niſi veteribus nova addant. Omnino te talem præbuiſti mihi hactenus, Vir Ampliſſime: Prætérqvam enim qvod tibi debeo, qvicqvid ſum, jam novis modis me benevolentiæ tuæ obligare voluiſti. Niſi enim id eſſet, de Rectoratu Portenſi nunqvam monuiſſes me, & pro eo impetrando tam luculentam operam mihi promiſiſſes. Cæterum ſicut te ego etiam atqve etiam qvæſo, ut hunc affectum mihi perpetuum ſerves, ita abs te peto, ut ſufficiat tibi interim dixiſſe gratias, donec referre liceat. Nam in præſentiarum qvi poſſim? Non qverar apud te de publicis calamitatibus, & qvas univerſi per bellorum civilium rabiem patimur clades. Illa fluidæ tantùm luis contagia attingam, qvæ noſtram urbem ita infeſtam reddidere, ut mihi edes meæ relinqvendæ, & familia mea in

Pratenſem pagum transferenda fuerit. Nam qvamvis id malum neminem meorum tentaverit, qvod & imposterum Deus prohibeat, tamen qvia vicinas maximè ædes polluerat, minimè manendum diutius cenſui mihi ac meis. Igitur qvod ego nunc poſſim, facile vides. Sed erit tempus aliqvando, qvod ſatis commodè oſtendet, Buchnerum eſſe non ingratum, ſed qvi Seusſiana beneficia nôrit rectè æſtimare. De negotio autem Portenſi ſic habe: eſſe non una, qvæ ſvadere poſſint, eſſe item plura, qvæ detinere, certè deterrere valeant. Ac illa qvidem, qvæ vocare velut ad capeſſendum munus videantur, iſta ſunt: Primò honeſta provincia, & qvam neminem ferre pudeat mei Ordinis. Deinde amœnitas loci & à naturâ propemodum facta, ut ibi innoxia ſua otia Muſæ peragant. Nam qvid gemino illo montium tractu, qvos hinc lætiſſimæ vineæ, inde ſylvæ præcingunt, jucundius eſt? Qvam dulce ſpectaculum Sala præbet per convexa agrorum placido agmine leniter decurrens? Ipſa Theſſalica tempe hic mihi imaginor, & videor videre Oſſan & Pelion, ſed tamen ſine Gigantum motu. Jam qvid optatius ſit, qvàm iterum docere bonas literas, ubi eas didiceris? Et ſenem colere iis locis, in qvibus adoleſcentia, & non ſine delectatione, cæterum citra fabulam, fuit transacta? Adde qvod, licet ipſe mihi conſcius ſim, qvàm parum promoverim in literis, tamen qvicqvid illud ſit, uberiores fructus daturum videatur inibi, qvàm nunc hic facio. Etſi enim ſemper inveniantur, qvi aliqvod pretium

ponant

ponant Camœnis noſtris; tamen videntur illæ plerisqve neſcio qvid puerile ſapere, & indignius propè tractari ab illis, qvi jam in altiorum diſciplinarum arcana pedem immiſere, qvod ibi aliter habet. Qvid de ſtipendio dicam, qvod pleriqve vel primo loco ducunt, qvod multo unctius, ut ſic dicam, qvàm qvo me nunc teneo & meos. Hæc ſunt, qvæ velut manum injicere adducere videbantur ad amplectendum hoc genus muneris. Nunc & ea accipe, qvæ arcent ac prohibent, deterrent certè. Ex qvibus primum meritò numero perverſitatem ingeniorum & adoleſcentiæ noſtræ plerumqve in laſciviam & neqvitiam inclinatæ. Deinde eſt ipſa diſciplinæ facies: qvæ ſi non prolapſa penitus, tamen parum pro meo genio. Denudata juvenum terga & publicas Maſtigophororum ceremonias ego nunqvam probavi in ludis literariis; præcipuè ſi cum adultioribus res ſit: multis enim argumentis ſperarem me poſſe evincere, plus iis exacerbari atqve corrumpi bona atqve erecta ingenia, qvàm ſanari. Et natura etiam mea nihil aſperi paſſa eſt, qvæ me totum ad lenitatem & placiditatem concinnavit, ſed ita tamen, ne planè ſtipitem redderet aut pecus. Et neſcio ego, an plus poſſit regendis ingeniis cauta lenitas, qvam inconſulta illa ſeveritas Orbiliorum. Poſthæc: noſti, qvantæ æmulationes hactenus inter Collegas arſerint, qvantæ contentiones: qvæ qvorundam neſcio an dicam moroſa ſuperbia, an ſuperba moroſitas. Cum illis igitur vivere qvàm acerbum foret & triſte! Et verò ſi illi defuncto

Rectori, confirmatæ auctoritatis Viro, & jam Seni, tantopere inſultare veriti non ſunt, qvid de me fecerint, qvi utroqve illô longè caream? Jam in ipſa docendi ratione ſunt, qvæ obicem velut objiciant atqve abſterreant. Non poſſum contra animum meum facere, & aut proponere, qvæ ipſe non ſatis didicerim, aut qvæ ſciam alumnorum ſtudiis parùm profutura. Poſtremò non ita ſanè expedit mutare ſedes: Et vix conſtitutam familiam diſtrahere. Hæc qvum ita ſint, hæreo dubius, & neſcio plane, in qvam partem ſententiam dicam, & veniendum mihi ad veterem formulam, *Non liqvet.* Hoc tamen apud Te profiteri non vereor, ſi tollantur æmulationes Collegarum, (qvod optimè fieret, ſi moroſi ac litigioſi illi homines in alias ſubmittantur provincias;) & auctoritas Rectoris plenius conſtituatur; ſi non cogar qvendam virgis nudum cædere, ſed id vel cæteris relinqvatur, vel mihi poteſtas ſit, aliô pœnæ genere advertere, qvod & non tam ſervile ſit, & ipſis delinqventibus magis fructiferum: Si mihi Poëtarum & Oratorum tantum relinqvatur interpretatio, cum Inſtitutione Rhetoricâ, Dialectica verò alteri committatur, qvi ei aptior; Si qvicqvid ſumtus in iter & tranſportationem rerum mearum faciendum ſit, id ego non luam, ſed aliunde omne ſuppeditetur: me non ita recuſaturum hoc munus, ſi Deus & meus Princeps vellet imponi. Sed tu videris: & poteſt cum Ampliſſimo Dn. Köpfelio, qvem honorificè ſalutabis, de eo communicari. Eadem ferè Clariſſimo Schmidio noſtro repoſui:

qvum

qvum is, te qvid ne celem, ex me perqvireret, placeret ne, ut Domini Viſitatores me Illuſtriſſimæ aulæ noſtræ commendarent, ut qvibus injunctum, nominarent qvosdam, qvi digni viderentur ad capeſſendum hoc munus. Utcunqve res cadet, ita ego Deum ordinâſſe exiſtimabo; Et nemini ſuam fortunam invidebo, qvi meâ ita contentus ſum, ut beatus mihi videar. Qvantum enim purum illud & innocens otium me ab opibus abſtinet, tantum tranqvillitatis & innocentiæ addit. Hæc ad Te impræſentiarum, idqve raptim & præfeſtinò exaranda duxi, Pater, qvæ animum meum tibi ſatis aperient. Tu, ut dixi, videbis, qvid & mihi & ſcholæ expediat. Neqve enim incrementum rerum mearum unqvam cupiam, ſi cum interitu illius aut damno fiat. Vale.

LXI.

Jano Seusſio
S. P.

AT qvæ tam longi venit tibi cauſa Silenti,
JANE, ſimul noſtrum ô Pieridumqve decus.
Emeritam reparata facem ter Cynthia fulſit,
Et toties feſſo lumine delituit;
Ex qvô nulla mei perſcripta ab nomine Seuſſi
Implevit cupidos pagina ut ante ſinus.
Nec fuit, optatum qvi vellet dicere SALVE,
Nec fuit an valeam qværere qvi cuperet.
O miſerum! Qvales ivere olim tibi Soles,
Et qvam fluxerunt candida fata tibi?
Alloqviis qvum te ille ſuis usqve usqve bearet,

Præ

Præ qvibus ipſa Venus, ipſe inamœnus amor?
Qvum te deliciumqve ſuosqve vocaret amores,
Qvumqve illi dulcis Filii ad inſtar eras?
Nil ego peccavi, de qvo me hæc pœna maneret,
Conſcius in nullis ſum mihi criminibus.
Te ſanctè ſemper colui: Pia numina teſtor!
Tu mihi vel nato qvod Pater eſſe potes.
Pro te Ryphæos vellem conſcendere montes,
Et qvæ perpetuâ culmina tecta nive.
Qvasqve coqvit cancer torrenti ſidere terras,
Qva rara humani ſigna videnda petis.
Non me peſtiferis candens fervoribus æſtas
Non dura hiberno terreat aura gelu.
Et merito: noſtri qvia enim bonus auctor honoris
Monſtraſti obſcurâ tollere nomen humo.
Qvæ tibi ſi pietas noſtra haud ingrata futura eſt,
Si nota mentis candida ſimplicitas:
Tu qvoqve vix veterem poteris deponere amorem,
Buchnerum & toto dejicere ex animo.
Nam qvanqvam veſtris tumeat mea Dreſda Camœnis,
Aſſurgat qvanqvam Muſica turba tibi;
Sed tamen & nobis dederint qvia parva ſonare
Pierides, forſan nec tibi vilis ero.
Nam nec Virgilio ſordebat Flaccus amicus,
Qvamvis inferior vocis honore fuit.

LXII.

LXII.

Jano Seuſſio
S. P.

TErtiæ ſunt, qvas ad te ſcribo literas, Seuſſi Clariſſime, Pater ſvaviſſime; tu tamen

– *Velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis,*
Aut tua Sigalion Ægyptius oſcula ſignet,

obnixum,ut cum Auſonio poëtice dicam, taces, neqve me hactenus ullius Poëmatis tui, aut epiſtolæ lectione recreare voluiſti. Qvid feci, mi Pater, qvid locutus ſum,qvod innocentem hanc animam tam triſti amaraqve pœna affectum iviſti? Qvidvis potius in me ſtatue, hoc tantùm deprecor, ne diutius affectu me tuo carere velis. Nam qvod totus tuo animo exciderim vix credam. Et fortaſſis velut Parentes ſolent ſe liberis ſubducere pauliſper, aut difficiles præbere, atqve ita, ecqvid ſe ament, explorare, ita tu affectum periclitari voluiſti.Qvanqvam, ut puto, ſatis olim didiciſti, neminem Seuſſium ſincerius colere, ac Buchnerum: qvia & ille nemini plus qvàm Seuſſio debet. Qvicqvid ſit, qvæſo te, ne diutiùs me eneca ſilentio tuo,&ſi plura nolis,duo verba rem conficere poterunt, *Salve,Vale.* Tu verò vide,qvanta in te ſpes mihi atqve fiducia poſita ſit, qvi etiam cum iratus mihi videris,officium tuum flagitem. HaıncnheſisEccleſiæ Paſtor & Superintendens, non ita pridem eſt,cum exceſſit,& iſto ſuo obitu provinciam ſuá vacuefecit. Hanc cum M.Michaël Blum Eccleſiæ noſtratis ſeptennium Diaconus, Vir mirè pius, induſtrius ac eruditus honeſtè ambire vellet, petiit

tiit,ſe tibi à me commendari. Qvod qvia honeſtè recuſare non potui, imò propter affinitatis vinculum, qvo mihi conjunctus eſt, qvod aliàs fortunas ejus propter numeroſam ſobolem, vellem meliore loco eſſe,non debui qvoqve. Ea, propter te per amicitiam noſtram,rogo,ut vota ejus adjuves,& cauſam hanc agas qvaſi meam, hoc eſt tuam. Novi diligentiam tuam, novi catenam oris facundi,qvâ velut Hercules ille facilè qvemqvàm in ſententiam tuam pertrahere potes. Hæc jam advoca, & Viri optimi fortunam tui beneficii face. Non eſt, qvod vel de Eruditione vel Eloqventiâ ejus dubites. Utraqve certè ſpectata Nobis, ac toti urbi dilaudata. Si alia ſint, qvæ videantur obſtare, tu pro ingenio tuo atqve prudentiâ removere in facili poteris. Cæterum ſpondeo ab ipſo, qvidqvid hac in parte feceris, non gratis facturum. Imò etiam ſubmoneo,ſignifices,ecqvid rerum allubeſcat. Faxim certe, ut feras, modò ille præferatur cæteris procis, qvi hanc Helenam (da veniam locutioni iſti) ambiere. De me verò perſvade tibi, ita amore tui vadatum teneri, ut ne triſtiſſima bella in ſpem gratiæ & benevolentiæ tuæ decertare fugiam aut detrectem. Vale.

XLIII.

Jano Seusſio
S. P.

QVod volebas, mi Domine Pater, ecce Notulas tibi ad *Paſſeratii Columbam.* Verè dico Notulas, adeò leves & ſine pondere. Interim ſi alicui uſui tibi ſunt,habent,de qvo ſibi gratula-

ri qveant. Mihi ſatis eſt juſſis tuis paruiſſe. Adjunxi iis Albertum Auſtriacum Dornavii & Simonis Simonidæ poëmata verè aurea, qvod præſcriptum habent, & cum antiqvitate comparanda: Cæterum utinam plura! In Elegiis qvæſo qvanta ſvavitas, qvantum utrobiqve ingenii & Eloqventiæ flumen, qvanta, ſed ſine affectatione eruditio? Nobiliſſimus eſt Meliſſi, laudabilis qvoqve & Samarthani conatus; At ſi qvid rectè judico, nemo iſto meliùs ideam illam Pindaricam expreſſit. Unicum iſtud exemplar attulere Bibliopolæ noſtri. Itaq; ſi alius aliàs mihi copia fieri non poterit, qvanqvam ſuam promiſerint operam, qvæſo mi Pater, tres illas odas & elegias additas deſcribendas cures. Vellem enim ego gemmularum iſtarum non expers eſſe. Qvæ qvo minus à ſeculo iſto ſperandæ ſunt, eò diligentius fideliusqve aſſervandæ & cuſtodiendæ. Cæterum tu levi iſto donario macte, & ſemper mihi volens & propitius eſto. Vale.

LXIV.

Jano Seuſſio
S. P.

POſt diuturnum ſilentium tuum, Seuſſi Chariſſime, qvàm gratæ mihi fuerint literæ tuæ, dici non poteſt. Præcipue qvum tam plenæ eſſent amoris & tenerrimi in me affectus. Viſus ſum mihi redire in vitam, qvaſi conchæ, qvum poſt diuturnam ariditatem cœleſti ſucco iterum irrorantur. Judicium tuum de Claudiano planè exoſculor. Eſt ille profectò inter optimos & præſtantiſſimos Poëtarum. Nihil ibi aſperum, nihil

nihil affectatum; æqvabilia, dulcia, candida omnia, non ſine acumine & Venere; ſed nudâ, & qvalis mane mari emerſit. Gyraldus aliter cenſuit? Qvid tum? Fuit qvidem ille Vir inter eruditiſſimos ſui ævi, ſed nemo infelicius de Poëtis judicavit. Eſt videlicet qvandoqve, qvum & perſpicaciſſimi aliàs cœcutiant; qvum ea doctiſſimis qvandoqve in mentem veniant, qvæ non niſi nomine tueri poſſint. Sic Victorius, qvanti nominis Vir, Ovidium ut vitâ, ita oratione & verſibus enervatum cenſet. Qvod cui humaniori & doctiori paulò perſvadebit? Sic Lipſius Troada trivialis magiſtri fœtum judicat, qvæ divina plane tragœdia, & reliqvarum, qvas Seneca ſcripſit, revera princeps. Contra Thebaida ita attollit, ita admiratur, ut pene adoret. In qvo, qvi aſſentiatur, neminem habebit, non qvi vel paululum biberit de Caballino fonte. Nempe de Poëtis judicare, non niſi Poëtarum eſt, idqve non omnium, ſed optimorum. Verum iſta non ſunt hujus loci. Pro Panegyrico tuo gratias ago, an & referq? Ecce enim tibi ἀντίωδεον carmen in Natali Dominico ſcriptum. Qvod ſi ita ſe tibi probabit, ut mihi illud tuum, magnus mihi Apollo videbor. De Pii Pontificis operibus pollicitus aliqvid Franckebergerus; ſed nihil ad me hactenus. Albini qvid velis, ſcribendum tibi. Ego nihil vidi præter duo Chronica Germanica: Meißniſche Land- und Meißniſche Berg-Chronicke. Ea puto haberi poſſe. Qvum ſuperioribus ſeptimanis Elector noſter Annæburgi eſſet, ipſe ad Belzerum noſtrum profectus ſum, illiqve vota

mea

mea qvæ, ſcis, commendavi. Qvi abunde ſtudium ſuum pollicitus eſt. Si occaſio erit: & tu qvoqve mone hominem, ut curæ ſibi hoc habeat negotium. Videbimus, qvid fortuna faveritMuſis noſtris. Vale.

LXV.

JanoSeusſio

S. P.

PErbellè verò accepta ſunt tua epigrammata, nec cuiqvam vel leviculam bilem in naſo concierunt. Mitto hic ea cum aliis expreſſa, ut & qvodTrochaicum nuper in Natalitiis Domini intimavimus. De libris prorſus fruſtra es: qvos neq; inSchureriano nec Selfiſchiano libello (ſic bibliopolium vocat Catullus) invenire potui. P.Janici S.J. Vitæ Pol. Regg. adſunt; cujus tamen non feciſti mentionem:Si velis, mittam. Sed qvis nuncius illætabilis percuſſit aures meas? Nienborchium noſtrum fuiſſe, & exceſſiſſe hoc humanæ fabulæ theatro. Congelat animus profectò. Dic, Pater, qvicqvid fuerit, ut vel Soterium vel Epitaphium ipſi ſcribam. Mallem verò prius, & falſum illum Thaltybium & mendacem. Qvod hactenus Diſputationes ordinarias habere non potui,ſat ſcio, me excuſabit negotium Grammaticum, qvod penè ſolum humeris noſtris incubuit, ſublevavit tamen & Spigelius.Cæteri ne γϱυ qvidem auxiliati. Utinam verò non ita feſtinandum fuiſſet.Speraveram eqvidem longè elegantiorem & effectiorem Grammaticam elaboraturos.Multa exScaligero, Lipſio &ejusmodiTriariis literaturæ noſtræ monui-

K

nuimus, nonnulla qvoq; de noſtris nobis obſervatis, qvæ alii aut non viderunt, aut neglexerunt qvidem, qvia non didicerunt. Sed nihil hic jacto; & gratias ago Herculi liberatori, qvi meis me Muſis tandem reddidit, & exantlatis illis ærumnis longè ærumnoſiſſimis, amœniſſimo otio beavit rurſus. Hoc autem profectò de opere iſto Schmidiano dicere jure merito poſſum, & laboris improbi & multarum vigiliarum eſſe; doctrinâ verò & perſpicuitate tantâ, qvantam hactenus in vulgo Grammaticorum tantoperè deſideravimus. Qvanqvam qvid illi me Commendatore opus eſt, qvi ipſe ſpectante Rhenio & erubeſcente (ita ominor certè) abundè ſatis operam vobis probavit. Vale, mi Pater, & tibi fac ſemper noſtræ ſint cura Camœnæ, qvamvis illepidæ atqve inelegantes. Epigramma, cum finieram, hoc ſubitò natum nobis: qvod nomen non niſi brevitate tueri poteſt. Tamen adſcribo: nempe & deformes liberorum Patres amant.

Nienborchius ne igitur nobis fuit, & fera Parca
Crinem ipſi, at nobis delicium abſtulit heu!
Sic verè narravit qvidam forte exſpatianti:
Mendaciloqvidum ò de genere ille foret!

Sed offendit te forte, qvod tertiam in *Mendaciloqvidum* produxerim, contra indolem compoſitionis? Noveris igitur & apud Calpurnium mediam in *viriſeqva* productam inveniri. Qvantam & omnes fecere veteres in *pediſeqva*. In omnibus enim MS. tantum unico S. non gemino, qvod vulgus ſolet, inveniri, teſtis eruditiſſimus Schvvartius in nuper ſuis nobis editis analectis pror-

proſus ableĉtiſſimis. Poſſim & excuſare per literam ſeqventem liqvidam, cujus beneficio, Græcos imitatus Perſius, primam in μέλ⊕ produxit. Sed qvid opus cauſæ patrocinari nondum delatæ. Vale, iterumqve ſalve, mi optime Pater, diu nobis ſuperſtes.

LXVI.

Eidem.

QVod petiiſti à me, Domine Pater, habe hic tibi de Cometâ Diſcurſum Schmidii noſtri. Miſiſſem citius, ſi tabellarii fuiſſent, aut per importunitatem Subqvæſtoris noſtri, de qvo nuper monebas, licuiſſet. Tuum de Phœnice non qvidem Æthiopico ſed Thuringico planè judicium exoſculatus ſum. Et proximè ego ad te perſcribam. De Carmine gratias ago. Nunqvam lego tua, qvin exclamem: O Poëtarum ingenioſiſſime Seuſſi! Aliis enim alia cenſeantur: tuorum Poëmatum laus ingenioſitas. Mitto hic tibi Horatii Epiſtolam de arte Poëticâ à me ſeorſim editam. In eâ multa peccarunt operæ, aut certe negligentia illius, cui corrigendi partes commiſeram. Mihi enim, dum imprimeretur, adeſſe ſemper non licuit, propter rerum mearum conditionem. Igitur ignoſces. Vale, mi Domine Pater.

LXVII.

D. Matthiæ Hoë

S. P.

JAm olim, Reverendiſſime Præſul, & M. Schmidio & mihi præmioli aliqvid pro labore in recenſenda Grammatica Philippea ſumto promiſ-

ſum eſſe, benè, opinor, meminiſti. In eo conſeqvendo tot annos laboravimus hactenus, non ſine ſpe prorſus, cæterum ſine ſucceſſu. Qvem tamen nunc nobis audemus promittere, ſi Ampliſſimi veſtri Collegii ſuffragatio & tuum cumprimis ſtudium ac benevolentia opem ferant. Nam qvum non ita pridem Sereniſſ. Princeps negotium dediſſet Curiæ Præſidi cum Qvæſtore noſtrate commonſtrandi viam, qvà commodè nos voti noſtri compotes redderemur, & illi id ſedulò præſtitiſſent, res tota iis commendata eſt, qvi ætario Principis adſunt. Qvibus id in mandatis datum, ut re vobiſcum communicatâ de cauſa noſtra cognoſcerent, & ſi procedere viderentur commonſtratæ ab Officialibus rationes, deciderent negotium: ſin minus, maturè ſubmonerent, qvid injiceret moram. Ac qvamvis de veſtra fide & prolixo in nos & cauſam noſtram affectu ſatis conſtaret nobis, tamen ad nos pertinere exiſtimavimus, ad Sacrum veſtrum Senatum dare literas, qvibus & rei totius hiſtoriam ſufficienter exponeremus, & deſideria noſtra vobis, qvà par eſſet reverentiâ animi, commendaremus: Ut & facilior eſſet cognitio, & nos officio noſtro non defuiſſe videremur. Ego verò & peculiari ratione ad te perſcribendum mihi exiſtimavi, Domine, ne malæ ſcilicet fidei cliens viderer, ſi inſalutato Patrono aliqvid molirer negotii, qvod ſine ejus feliciſſimis auſpiciis confici vix dextre poſſet. Non ignoras, qvam mihi jam olim legem dixerim, & ſpero certe, me ita tibi probaſſe obſeqvium meum, ut cauſa non ſit
alienan-

alienandi animum ab ejus commodis, qvi & à te pendet unicè, & nemini magis qvam tibi fortunam ſuam debere gaudet. De excuſanda votorum noſtorum modeſtiâ non eſt, qvod valde laborem apud Te. Nam etſi vulgus totam Grammaticam rem

- - exile negotium
Et dignum pueris putet :

Tu tamen longè aliter exiſtimas: & eſt revera

Aggreſſis labor arduus,

ut idem Terentianus, Grammaticorum ſvaviſſimus alibi ait. Qvod ſi Verrius ille Flaccus, qvi ſub Auguſto Grammaticam docuit, centena ſeſtertia h.e. 2500. Coronatos in annum accepit: ſi Remmio Palæmoni Tiberio Claudioqve regnantibus ejusdem artis Profeſſori Romæ qvadragena ſeſtertia, h.e. cIↃ coronatorum ſtipendium numeratum qvotannis: qvantæ invidiæ erit, nos pro tot annorum laboribus aliqvot centum florenos lucrifacere? Cætera taceo, fruſtra apud te commemoranda: qvia ita mihi cupis hactenus, ut gaudere non modò poſſim fortunam huic mediocritati deſiderii noſtri annuere, ſed & ſi incrementa addat. Et qvid laborâſti hactenus, qvam ut huic virtutis tuæ admiratori ingenuo melius eſſet? qvod qvum hac occaſione in partem præſtare poſſis percommodè, non tam ego vota ac preces ad te jam ſacras affero, qvàm plenus optimæ ſpei mecum meditor, qvas dignas tibi reddere gratias poſſim. Vale, Patrone incomparabilis, & felicitati devotiſſimi Clientis benigne fave. Ita tuam univerſam domum omni felicitate ſemper florere propitium velit Numen. Vale.

LXVIII.

D. Matthiæ Hoë S. P.

ABituros in exoptatiſſimum tuum amplexum nobiliſſimos Filios, non ſatis habui fauſtis ominibus proſeqvi; volui literas addere, qvæ velut deducerent traderentqve in manum tuam, qvam veneratione animi oſculor, cum aliter fieri id haut qveat. Qvod genus officii ut Nobiliſſimorum Adoleſcentum virtuti ac emendatiſſimis moribus debui; ita id tibi, Reverendiſſime Præſul, non ingratum aut injucundum fore confido. Amplectere igitur vota tua, Domine. Exoſculare ſpes tuas; & qvoniam nullum aliud liqvidioris dulciorisqve gaudii genus aut ſubit penitius, aut ſvavius ducit animum, qvàm qvod ex indole filiorum, qvi itineribus rectis in decus majorum enituntur, capitur, ubertim nunc eo canitiem tuam venerabilem & ardentiſſimi amoris plenum pectus exple ac paſce. Neqve nunc tantùm, ſed & impoſterum ſæpius & diutiſſimè, qvod ipſi optant. Cum non jam amplius ſpes implenda in ipſis, qvam voto præcipis, ſed nunc confecta, gratandum erit, & poſtulandum Numen, ut ſuis muneribus incrementa addat. Interim dum abſunt tui, PATRONE SUMME, neqvid diſſimulem, Svetonius meus ac Cicero non tralatitium certè mœrebunt mœrorem, diligentiſſimis auſcultatoribus nunc in iis privati. Tum demum experrecturi frontem rurſus & ſecum ipſi redituri in gratiam, cum jam ſvaviſſimo illorum aſpectu iterùm licebit frui, qvorum potiſſimum

mum cauſa hactenus me interprete, hic publicè, privatim alter, inſtituerant loqvi. Sed lectam interim tamen & purioris Latinitatis & optimorum exemplorum providebunt copiam, qvâ mactent reverſos atqve excipiant lætabundi: dum ipſe vacavero votis, ut ſalvo Patre, ut pleni maximo Patre redeant, & eô ſe dignos, qvæ certa fiducia, ſemper probent. Qvem ego qvamdiu in rebus humanis videbo ſuperſtitem, (voveo autem, ut diu videam vel relinqvam) non deſperabo eqvidem aut ſuperaturum me malignitatem ſortis, qvæ me impugnat, aut tranſacturum certè cum eâ, ne tam contumaciter in afflictum ſæviat. Non erat animus obturbare domeſticum tibi gaudium, *Patrone*, dicam an *Pater*, qvod utrumqve in me pietate ſingulari certè es, qveſtubus meis: & tamen penitus diſſimulare animi vulnus, qvam veniam dabis, haud licet. Generoſus Dominus Præſes METSCHIUS alterum noſtrum Præſidium, magnam Noribergâ usqve alluxit ſpem, qvæ ut res fiat abſente illo, à benevolentiâ tuâ ac pietate unicè mihi eſt expectandum. Sunt amicorum qvoqve haud pauci extra Patriam, qvi de ſalute meâ ſollicitè curent, & honeſtiſſimis denuò conditionibus invitent. Nec amare eorum ego ſtudium ac fidem non poſſum: ſed tamen libenter aliis relinqvam regna, modò hunc nidulum mihi tueri atqve aſſerere liceat, de qvo ancipiti tamen prælio cum fortunâ congreſſus; hic feſſus qvantumvis & mirè deficiens pugno tamen. Nam tot ſtipendia, qvæ mereor, qvid juvant? Cum nullum eorum tot annis redeat, cum in-

interim tamen non deſeram partes;Et undenam impetranda ſubſidia eruntin tanta paucitate Academiæ pubis? Qvid qvod nunc diſceſſerunt omnes,qvi mecum fuerunt hactenus, egoqve in ædibus vacuis laxius qvidem habitem, ſed durius degam? Et proclivius eſt, ut video, vereri & aliorum habitum, qvàm qvi huc veniant, expectare. Jam ruſculum noſtrum nec unqvam hactenus reſpondit impenſæ, & nunc abactis jumentis dudum,totum ſqvalet fundusqve Democriti factus eſt,qvem pecus edit. Agente enim peſſime Domino, nil bene fieri agello poteſt. Cætera non tangam: verecundi & tegunt vulnera, qvæ impudentior qvisqve in oculos ingerit, parum ſollicitus, impetretne miſericordiam, an extorqveat. Vale Reverendiſſ. Præſul.

LXIX.

Jano Grutero

S. P.

MAximum, VirMaxime, facinus feciſſe eluit Hercules, qvod Augiæ expurgarit ſtabulum;eqvidem ego maximas nugas puto, præ eo, qvod Tu tot præclaros auctores. Non judicem dabo: Hoc tamen veritas mihi exprimit, Te neminem de literis melius meruiſſe.Hinc eſt, qvod bonos doctosqve,ubicunqve ſint, Pliniano more ut dicam,advertat,nec qvisqvam ſit, qvi Gruterum non amet, niſi qvem non melior Muſa & Phoebus. Qvanti te usqve fecerim, mea mihi conſcientia loqvitur, iſta charta non poteſt.Utinam verò aliqvando te oculis uſurpare liceat, & divinũ illud os, illos ſagaces oculos,illam incul-

culpatam canitiem non ſine veneratione intueri. Sed hæc fortaſſe fruſtrà: & vero nec Deos videmus, colimus tamen. Qvod ſi impoſterum & mihi permittes

- - *Cœlum me tetigiſſe putem.*

Non eruditionem affero ad aram tuam: in Juvenem ea non cadit. Affero tamen illius amorem, & hoc uno à te velim cenſeri. Tu in qvatuordecim ſedeas: Satis mihi inter populum ſpectari. Jam in Tibullum aliqvid meditor, & meditor olim publicæ luci. Sed omnis opera periit, niſi MSS adjuvemur. A te certe poſſim, cui inſtructiſſima, qvam ſcio, Bibliotheca commiſſa. Unum è Sereniſſimi Electoris noſtri Bibliothecâ habeo, ſed neqve veterem adeò, neqve aliqvid vulgaribus Editionibus differentem. Juva me, Grutere, melioribus, juva hominem non laudis eqvidem, ſed juventutem juvandi cupientem. Vellem imprimis & tuos ineditos *Suſpicionum* libros, qvos immerito ſuo, malo noſtro, nimis diu premis, videre contingat. Qvibus, ut ex Schoppii *Criticâ* diſcimus, inter innumeros alios Scriptores & Tibullus meus contra Scaligerum, Douzam, Lipſium, alios aut corrigitur aut vindicatur. Eruditiſſimum Gebhardum ſalvere ex animo jubeo, atqve ſi gratum, literas meas expectare. Salveat item Petendopius noſter. Tu verò, Vir Clariſſime, vale & me porrò tuum adſcribe, licèt inter infimæ claſſis gentem. Vale.

LXX.

Jano Grutero

S. P.

Literas tuas, Grutere Clariſſime, rectè ad me curavit Hornejus noſter. Qvanqvam aliqvanto ſeriùs. Nam qvum Januario proximo datæ eſſent, ego hoc Martio demum accepi. Sed ei mittendi defuit commoditàs. Cæterùm qvantam ex illis voluptatem ceperim, qvanqvam amara pleraqve, dici non poteſt. Nam qvia nihil certi hactenus de ſtatu rerum tuarum cognoſcere potuerim, inſigni ægritudine & cura exercitus imò confuſus fui. Cujus non exiguam partem (nam totam qvomodo poterant?) ſuſtulerunt literæ tuæ, qvum me, qvamvis non qvàm benè, ſed qvàm ſalvus ageres, edocuére. Meliori qvidem fortunâ tua ſancta ſenectus, & ſine fabula peracta vita, tua divina iſta & immortalia in Rempublicam literariam merita digna forent; Sed tamen, qvia Deo viſum has ærumnas incidere, magno animo & ſine murmure feres.

Qvicqvid patimur mortale genus,
Qvicqvid facimus, venit ex alto.

Non es de vulgo illo futili, qvod ſimul ad fortunam offendit, frangitur: Doctrinæ & ſapientiæ es. Igitur tibi integrum non eſt clypeum abjiecre & vertere terga. Jam fructus ſtudiorum capias, nihil timere, mediis in undis tranqvillum eſſe. Non novus hoſtis eſt, cum qvo res tibi; ſed notus tibi olim & calcatus. Iterum te impugnat, ut iterum triumphetur. Perge igitur tuus eſſe, Grutere, & nos exemplo tuo conſiſte & firma. Pacata qvidem

dem omnia, poſtqvam Luſatia Sileſiaqve pacata: nec tantum non bellum ullum eſt; ſed nec apparatus belli: qvæ tamen nobis fida ſtabilisq; ſperanda ſernitas, tot circum frementibus procellis? ô Germania, à qvibus inſideris? ubi invictum illud robur tuum? Fuit, Fuit illud tempus, qvum non ſolum vicinis populis, ſed toti orbi veneranda pariter eſſes & tremenda! Omnis tua laus reſtincta pene eſt: langvent arma, fides vacillat. Qvæ duo qvondam in te terrarum domina venerata. Interim tamen

Θαρσεῖν (imo verò εὐχεῖν] χρὴ, φίλε Ἰάνε,
τάχ᾽ αὔριον ἔσσετ᾽ ἄμεινον.

Ad manuſcripti Plauti partem reliqvam; Jamdudum illam miſiſſet Schurerus: niſi veritus eam temerè credere cuivis, qvum viæ omnes latronibus, an militibus? inſeſſæ. Igitur ſi qvid peccatum in iſtâ re, non negligentiæ noſtræ, ſed prudentiæ & ſollicitudini imputabis. Nec alia cauſa eſt, qvod ipſius recuſi Plauti exemplar nullum videris, nam diu factum eſt, qvod ille Typographorum officinam reliqvit. De Paréo & miratus, & indignatus ſum. Adhuc vivit ſpiratqve illud terrarum crimen, Muſarum dehoneſtamentum? Ego qvidem non vidi illum libellum, de qvo ſcribis, ſed tamen ejusdem notæ cum cæteris eſſe, facilè perſvadeor. Paræus non Paræus eſſe non poteſt. Sed inveniet illum ſuum fatum: & qvo magis conabitur depretiare Gruteri nomen, tantò magis proprio vileſcet. Vale.

LXXI.

LXXI.

Eidem

S. P.

NEfas olim erat qvid publici Juris facere, niſi ab Ædilibus ſcribendi veniam impetrâſſes. Utiq; & ego grandi me ſcelere obſtringere putabam, ſi qvid in literis laborarem, qvod non antè calculo tuo probâſſem. qvi mihi hercle non ædilitatem in noſtrâ Republicâ, ſed verò ipſam Dictaturam ſuſtinere ſemper viſus es. At qvid mihi? omnibus, omnibus qvibus cor rectè ſalit. Schurerus noſter, qvod moliretur Virgilium, vel Auguſtini calculo omnium Poëtarum clariſſimum ac optimum, minore modo edere, ut id majore bono juventutis fieret, petiit à me, Taubmanni noſtri Commentaria deflorarem, & breves qvasdam notas inde elicerem, qvæ inſtar perpetui Commentarii in margine textui apponi poſſent. Exoſculatus ſum hominis de literis & juventute benè merendi ſtudium, & qvanqvam nonnulla eſſent, qvæ me deterrere aut dubium ſaltem reddere poterant, ſuſcepi tamen id laboris in me, præcipuè qvod ſperarem, non inutile id fore Scholaſticæ noſtræ Juventuti. Qvæ rarò aliàs ad meliora adſveſcitur. Qvid ſuper hac re tibi videatur, qvæſo pro candore tuo & affectu in literas noſtras certiorem redde. Ita enim felix ſim, ut nunqvam aliqvid ejusmodi tentare præſumam, qvod ſciam puncta tua non tuliſſe. Ceterùm ut de tota re melius judicare poſſis, ecce tibi ſpecimen. Videbis autem paucula qvædam de meo addita, qvod & alibi facturus; nec, uti judico,

co, præter rem omnino. Argumenta, ut apud Taubmannum leguntur, apponi placet. Niſi qvod illa in Eclogas circumcidenda qvandoq; & leviter immutanda videantur. Interim qvæſo te, mi Pater, per novem Muſas, qvæ ſe patrocinio tuo jam olim crediderunt, per ipſum Virgilianum genium, imò per Taubmanni noſtri manes ſanctiſſimos, qvid faciendum videatur, ſedulò me moneas, nec qvicqvam celes, qvod ad inſtitutum meum pertinere putes. De Plauto ad partes tibi iterum vocato & propediem edendo valdè amo te. Erit iſte pictor Muſicus totus beneficii tui. Sed eſt adhuc, qvod Apollinem tuum conſulam. Johannes Caſp. Gevartius, homo non tralatitiè, qvantum ego judicare poſſum, eruditus, qvid ille nuper de ætate Manilii ſtatuit, te latere non poteſt: ut neq; illud, qvod non ita pridem de Phædri fabulis ad Martialem tuum monuit Scriverius. De Manilio vix aſſentior: Multa ſunt, qvæ diſſvadeant. At de Phædro planè fluctuat examen, & neqveo ſanè

- - *Certo compeſcere puncto.*

Rogo itaq;, mi Pater, ſuccurras & doceas. Nam ut de Manilio præclara omnia ſemper ſenſi, ita Phœdri elegantes & puriſſimæ Latinitatis, ſic Barthius cenſet, fabulas tenerè ſemper amavi. Et qvidni? Cum illas nemini non eruditorum hactenus in deliciis eſſe viderem. Sed qvid Pacreo fiet interim? Deſpuetur omnibus revelata jam ejus fatuiſſima aſininitas, & toti orbi manifeſtata. Eveniat idem omnibus, qvi bonos obtrectare malunt, qvàm imitari, & per læſionem alterius

rius ad ſuam graſſeri famam. Tibi vero, Grutere, qvod dignum pretium perſolvamus? Certè nos obruis beneficiis, non obſtringis. Hoc igitur ſit ſolatio, qvod ſolvere non poſſumus. Vale.

LXXII.

Jano Grutero

S. P.

Sive ego, Grutere nobiliſſime, eruditionem tuam, qvâ hodie omnes longè ſuperas, ſive adeò humanitatem ſpectem, qvâ cum paucis conferendus es, laude omni, omni vituperio major, & planè admirabilis mihi videris. Multos invenire hodiè eſt, qvi ſummam eruditionis in neſcio qvo faſtuoſo rigidoq; ſupercilio, nec qvid, nec qvare ponunt, & dum cæteros tropicè faſtidiunt, tyrannos literarum ſomniant & Muſarum Pompilios novos. Tu verò jamdudum pugnâſti in Seculi mores, qvos eruditionis virtute nobili in tantum ſupergreſſus es, ut neges qvem omnium doctiſſimum & non humaniſſimum qvoqve. Nam qvanta, bonum, iſta prothymia tua eſt, me, in qvo omninò nihil, qvam amor Muſarum tantùm, laudabile, dignari literis & talibus qvidem, hoc eſt, non tam ſeria eruditione madidis, qvàm merum amoris mel, merum ſeſamum ſpirantibus? Conſecrabo fortunam ejusce diei, & ſane me, qvod qvidem Poëta verbis, non tamen poëticè dictum putes,

--- *Ab amore tuo deducet nulla ſenectus,*
Sive ego Tithonus, ſive ego Neſtor ero.

Debemus autem tibi omnes multa, qvi literas iſtas colimus, & longè plura, qvàm ulli unqvam homi-

homini nato, ut ego crimen Muſarum & bipedum, qvotqvot terram tegunt, neqviſſimum arbitrer, qvi id nolit agnoſcere, nec hominem admirari digniſſimum admiratione, id qvod non iniqvum qvidem, ſed verò multò iniqviſſimum judicat ille Plinius tuus. Mihi qvidem qvantus hactenus fueris, dicerem certè, niſi meminerim me tibi loqvi; hoc tamen nemo mihi eripiet: Gruteri amorem potius eſſe, qvàm regnũ poſſidere,

Et qvas terrarum continet orbis opes.

De fato itaqve tuo næ ego indolui, ut ſiccos oculos habere vix licuerit. Sed feras neceſſe eſt, qvod mutare non potes. Ad Tibullum vellem aliqvid reſpondiſſes: ſed occupationes tuas video; & potes certè illas horas non perdere, aut certè melius. Gebhardi amicitiam nimio qvanto velim patere mihi; pulſo qvidem jam, & ne excludar, in tuâ manu eſt. Multum habemus in iſto Juvene, nec ſciam alium, qvi comparari cum ipſo hodiè poſſit iſtâ certè ætate. O niveam lucem, qvæ ipſi me tradere poterit! Sibero Beato parentalia inſtituere amici; Niſi grave ſit, tu etiam tuum dabis - - *mæſtas munus ad inferias.* Sed mittendum erit certè hac vice Spigelius, qvi te ſalutat, mutavit partes, & de penulâ ad tunicam talarem. Noſti enim cathedras noſtras ſteriles: Ego tamen Catone iſto contentus. In Virgilio Taubmanni ſtrenuè pergunt operæ: Et ſpes eſt abſolutum iri circum nundinas Lipſienſes hyemales: aut certè vernales Francofurtenſes. Hoc etiam volui, neſcius ne eſſes. Ciceronem tuum an nobis nundinæ iſtæ? Nimis diu in expectan-

ctando ſumus, & vix ferimus deſideriũ noſtrum. De νυκτικῶν Scriptoribus & Athenæo mechanico, de qvibus alibi ad te Scaliger, qvid ſperandum nobis? qvid de Papiniano, aliis? Invidebis nobis tot bona? Non puto facies. In hac ſpe finio, & te ex animo ſalvere diu ſuperſtitem pecor. Finieram, & ecce ſubito alia ſubierunt. Qvid mi Pater ſuper iſto? Ajunt magni & docti viri illas minores literarum Latinarum, qvibus ferè utimur hodiè, veteribus incognitas & Longobardorum inventum eſſe. At verò nuper in illo tuo æternitate digno Inſcriptionum opere in aliqvot inſcriptiones incidi, in qvibus interſperſas & illas minuſculas exertè cernere eſt. Antiqvas & Longobardis ſuperiores, & qvidem illud Sandalio ſcriptum eſſe, inde conjeci, qvod œnoforu pro œnoforo ſcriptum, qvæ antiqviſſima ſcribendi ratio. An minutiſſimæ illæ literæ apud Plinium tuum *l. 3 Ep. 5.* huc referendæ ſint, non ſatis liqvet. In qvas ineptias delapſus ſim, vides. Tu ſi tanti, cognoſce, & culpis noſtris ignoſce; atqve adeò perſvade tibi, non mihi Muſam iſta, ſed amorem tuum dictâſſe. Vale Grutere, Sol meus ac Muſarum.

LXXIII.
Caſpari Barthio
S. P.

NOn dici poteſt, qvanto abundarim gaudio, qvum tam ex tuis literis, qvam N. noſtro accepi, te benè ſalvum Lipſiam rediiſſe. Ita enim perſvadeas tibi velim, nihil tibi poſſe accidere, qvod non ad me putem pertinere. Libros re-

ctè

ctè accepi &plures qvidem, qvam petieram, ne ſcilicet qviddam in me humanitatis omitteres. Qvum nec hoc fine illa ſteterit, qvibusdam etiam me donas (ô propenſum animum tuum in me, ô prothymiam ſummam!) Corippo videlicet & Poëmatis veteribus. Qvibus profectò mihi nec ſanctius qvicqvam nec charius unqvam fuerit. At qvid redonem? Vides nuditatem meam, & qvàm non ſolum ab iſtiusmodi rebus, ſed & aliis fortunæ donis ſim deſtitutus. Interim tamen, qvia nihil aliud à me potes, me ipſum habeas velim, qvem tibi virtute tuâ jam olim non modo devinxiſti, ſed & æternum tibi mancipaſti. In te vivam, à te nomen habeam. Scuſſius his diebus ad me dedit literas, & unà etiam ad Te, qvas hic mitto: cumqve illis Carmina, qvæ adjunxerat. Ille hymnus Heinſii, ò qvàm me cepit! Nihil ſanè mentior: lectione ejus tantùm erecta mens, & mortalibus rebus ſubtracta fuit, ut viderer mihi

Ire polo nitidosqve errare per axes,

& cum illo ipſo, qvem canit, coram converſari. Et dubito profectò, an qvid divinius dari poſſit. Si Opitius, qvod ſpero, aliqvot exemplaria ad te mittet, fac ut unum de illis ad me perveniat. Mallem ſanè cæteris omnibus poëmatis, qvæ ille procudit, carere, qvam iſto uno. De reditu tuo ad nos valde gratum accipere. Qvi ſane deſiderio noſtro ſatis celer nunqvam eſſe poterit. Igitur ſi tardius nos futuris nundinis de iis, qvæ ad habitationem & cætera ſpectant, colloqvi licet, literis velim à te doceri. Menſe enim ad

minimum opus eſt, ut expurgari Muſeum & interſtitium, qvod volebas, perfici poſſit. De omnibus libere ſcribe. Ego annitar ſedulò, ut voluntati tuæ abundè ſatisfaciam. Nam qvid nollem ego, qvod tu velis, qvi à ſpiritu tuo totus pendeo. Vale.

LXXIV,
Caſpari Barthio
S. P.

Superioribus diebus, qvum ad me literas dediſſet Opitius noſter, ſimul accepi exemplar geminum D. Catonis, cum ſuâ verſione Germanicâ, qvorum alterum tibi inſcripſerat. Id nunc mitto: & abs te vehementer peto, ut doceas, qvid valeas nunc, qvid muſineris in illo ſancto & tranqvillo ſeceſſu tuo. Tam enim tu feriari potes, qvàm cœlum (qvod ſolum cum divino tuo ingenio comparari debet) non moveri. Qvicqvid erit, omne ſeculum obligabit. Et novimus, ea qvoqve, qvæ tibi per otium & qvum ludere libuit, excidunt, ejusmodi eſſe, qvæ omne genus literarum illuſtrent, & eruditiſſimos etiam homines ſemper aliqvid doceant, hactenus ignoratum. Mihi & res domeſticæ non expeditæ ſatis: & morbi, qvem nunc in tertium annum circumfero, moroſitas excutiunt fere illa ſtudia, qvorum me ingenti amore anteà meminiſti percuſſum. Eluctor tamen aliqvando hæc vincla, & conor me reddere piis Muſis. Ita dico piis: nam illæ profanæ & qvæ in ſeculi eruditione an vanitate? occupatæ ſunt, parcius nobis habendæ impoſterum, ne aliud nobis præmium pro-

promittere habeamus, qvàm ſeculum ſolvit.

Nimirum ſapere eſt abjectis utile nugis,
Et tempeſtivum pueris concedere ludum,
Ac non verba ſeqvi fidibus modulanda Latinis,
Sed veræ numerosqve modosqve ediſcere vitæ.

Vera autem vita eſt, qvæ in CHRISTO vivitur. Cui qvicunqve ſe bonâ fide dedit, ille Apollini & illis levioribus Camœnis patere vix poteſt. Non huic ſeculo nati ſumus: alia reſtat vita, qvæ nos digreſſos ſeculo excipiet, ſi nos ad eam ſedulo comparavimus, dum in ſeculo adhuc moraremur. Hoc itaqve agendum, & potius ad æterna & immortalia præmia, qvàm illas nimium fragiles & vanas hujus ſeculi laurus aſpirandum. Qvas ipſas tamen ſæpe conſecuti ſunt, qvi contempſerunt. Qvantis laudibus Paulini Prudentiiqve (ut de aliis nihil dicam) feruntur carmina hodie, qvi tamen longe aliud agebant? Erit & olim admirationi ſeceſſus tuus, & in omnem orbem ſuam gloriam diffundet, qvanqvam tu latere ibi, & Deo ſecreta pietate vacare voluiſti. His exemplis noſtra, qvæ reliqva eſt, vita impoſterum erit componenda. *Qvi velle voluit, poſſe non neget Deus.* Et tu, divine BARTHI, ſalutaribus monitis me excitabis. Nunc ſum in deſcribendis animadverſionibus, qvas in aliqvot hymnos Prudentianos hactenus commentus ſum, brevi edendas. Ejus opuſculi partem peculiari jure tibi, ſi DEUS volet, inſcribam; pignus & monumentum meæ ſummæ in te obſervantiæ & cultus: imò amoris qvoqve. In qvo, audacter dico, me nemo vincet. Qvod ti-

bi diſplicere non poterit, qvum & DEUM ipſum nullâ alia re qvàm amore demereamur magis. Hymni, qvos explicándos ſumſimus interim, ſunt III. IV. V. XI. & XII. καθημ. Qvod ideo monui, ut ſi qvid præter ea, qvæ in Adverſ. libris ad illos notaſti, haberes alia, ſuppeditare nobis poſſes, vel inſerenda noſtris, idqve non ſine luculenta debitæ laudis commemoratione, vel ſubjungenda. Vale Nobiliſſ. Domine, & me amore tuo dignari ne deſine.

LXXV.

Caſpar. Barthio
S. P.

Extremâ hac nocte, qvum certiora & clariora ſomniari Tertull. autumat, Vir Nobiliſſime ſvaviſſimè tecum converſatus ſum. Videbar enim mihi eſſe tecum Lipſiæ in Muſeo tuo, & inter amplexus mutuos de rebus literariis garrire inter nos & ſermocinari. Qvicqvid portenderit hoc ſomnium (nihil autem triſte & illætabile videtur portendere, & fortaſſe exoptatiſſimum adventum menti præſagire voluit) ego maximam ex eo cepi voluptatem: qvæ ne cum ipſo ſomno ſtatim dilaberetur, ſtatim atqve ſurrexi de lecto, ad ſcribendas haſce literas me accinxi. Nempe & ſic tecum eſſe & colloqvi videbor mihi. Ea, qvæ in Venantii *hymnum de Reſurrectione* conſcripſi olim, nunc edere animus eſt. Qvibus ſi & tuas animadverſiones (qvod minatus olim es) adjungere volueris, rem gratiſſimam & publicè feceris utilem. Videbis autem, id intra decendium habeam. An iſti libri, qvos in adjunctâ char-

chartulâ conſignavi, in Bibliopolio Francofurtenſi habeantur,& qvanti conſtent,per famulum tuum [illegible] ura, qvæſo, ut certior fiam. Vale.

LXXVI.

Eidem.

BEâſti me planè tuis nuperis literis, Vir Nobiliſſime:nec beâſti tantùm; ſed qvaſi mortuum reduxiſti in vitam. Qvicqvid enim curarum hactenus, qvicqvid ſuſpicionum (qvod evenire ſolicitè amantibus ſolet) afflixit atqve excellenter habuit dubium ſuper obſtinatiſſimo ſilentio tuo animum, id omne illæ bona fide abſterſerunt. Qvamvis enim ſilentii tui cauſas diſertis verbis non exponerent,ita tamen ſubinnuebant,ut licèt Oedipus non ſim,non difficulter tamen conjicerem. Et verò ſatis erat me per eas abſolvi. Cæterum qvâ ratione te læſerit illud, qvod in meo mihi gremio fuerit, nimis vellem reſciſcere, & fortaſſis expeteret. Sæpe enim inconſultus amor eſt:& plures longè latebras habent mortalium mentes. DeClemente Alexandrino facile aſſentior. Neqve enim unqvam fiet, ut negare tibi aliqvid ſuſtineam. Nec tu qvicqvam petieris, niſi qvod honeſtum ſit & rebus meis non grave. Eò autem facilius carereClemente poſſum, qvod in Bibliopolio Schureriano duo adhuc habentur exemplaria hujus ipſius editionis. Qvare ſi opus illo fuerit, ſemper exinde copia mihi ejus fieri poteſt. Habe igitur tibi atqve retine cum bonâ meâ venia, & pro certo obtine qvicqvid poſſideo iſtiusmodi,non minus tibi in ea jus eſſe, qvàm mihi ipſi. Pro Phœnice gratias

ago: & antidorum, ſed longè impar, mitto duplex carmen, qvorum altero abeuntem qvendam Juvenem nobilem proſecutus ſum, altero ſolenne Angelorum celebravi. Sed iſta humi repunt, aut vix attolluntur ſupra inane vulgus. Tuum inter ſidera vehitur, & humana pariter & homines longè relinqvit. Cæterum qvod de iterandâ editione addidiſti, in eo vehementer judicium tuum approbo. Ita enim id acceperunt typographi, ut ea planè neceſſaria videatur. Nam ut cætera omnia rara atqve divina ſint; tamen numeri ita malè habent, ut non qvivis facilè medeatur. Priusqvam autem id agas, non prorſus abſurdè feceris, ſi præſciam. Videris enim, qvod pace tuâ dixiſſe liceat, qvædam adhuc, qva numerorum res eſt, monendus. Niſi ipſe interim, qvæ tua ſagacitas eſt, perviderìs. Encomium aſini Lugduni Batavorum ante aliqvot annos editum, cujus auctorem illũ τὸν πάνυ Heinſium novimus, ſi in bibliopoliis veſtris invenire licet, facito qvæſo, ad me ut veniat. Qvicqvid pro eo ſolveris, prima qvaqve occaſione rependetur. Sed & Sidonium Ennodiumq; Sirmondi ſi abs te impetrari patereris, magno me beneficio afficeres. Redibunt ad te ſine ulla mora, qvemcunqve illis præſtitueris diem.

LXXVII.

Caſpari Barthio

S. P.

Putabam, me ſatis tibi ſuperioribus meis literis, qvas Schleichio, priusqvã diſcederem Lipſia, dederam, probâſſe diſceſſus mei cauſas, & curnam

nam tibi valedicere, uti receperam per Opitium, minus potuerim, cùm tuæ literæ planè aliud oſtendant. Et eſt ſuſpicio meas à Schleichio redditas non eſſe. Tantum autem abeſt, ut tui me ruſculi amœniſſimi certe & tranqvilliſſimi tædium ceperit, ut nihil magis in votis habeam, qvam ad hanc vere divinam atq; beatam vitam, & qvæ præcipuè apta tranqvillitatem donare animo, poſſe qvandoqve aſpirare. Neqve hæc verba ſunt, & in inanem ſpeciem dicta, ſed ipſa veritas, & intimi animi certa ac dudum conſtituta ſententia, ex qvo coram tnrueri paulò apertioribus oculis vanitatem rerum, circa qvas plerumq; mortalium curæ occupatæ ſunt, licuit. Nam qvid morari ac detinere in urbibus hominem ſapientiæ i. e. veritatis ſtudioſum, & qvi ſe ſibi aſſerere velit, poſſit, ubi ambitione, luxu, adulatione & ſtudiis inanibus ita corrupta omnia ſunt, ut qvi aliud vivendi iter velit inſtituere, neceſſum habeat, aut longè fugere, aut plurium odia, & inimicitias incurrere: qvæ ipſum perpetuis laboribus atqve periculis objiciant. Non neſcio longè fugiendum, qvi ſuos velit fu gere: ubiq; eſſe vitia, ubi homines ſunt; ſed valde fallor, aut nuſpiam alibi melius vindicare ſibi ſe & veræ vitæ reddere, aut ruri licet. Nec fruſtra ſapientiſſimus Poëta extrema per agros terris excedentem juſtitiam feciſſe verba ſcribit:

- - O ubi campi,
Et dulces nemorum latebræ, rursúq; beati
Caſtus honor? qvis me tuguri ſub culmine parvo
Siſtet, & innocuâ ramorum protegat umbrâ?

Sed compeſcendus hic gliſcens furor animi eſt. Hic nihil qvam qvod trepidatione circumcirca plena omnia ſunt:

- - Multi ſe ſcire fatentur,

Qvid fortuna ferat patriæ: ſed dicere muſſant.

Hærent adhuc Dreſdæ præcipui Ordinum, qvos eò Elector Sereniſſimus convocavit. Qvid ibi agatur, nondum reſciſcere licuit, ita qvàm ſtudioſſimè celantur omnia, ut non tam comitia qvàm myſteria dixeris. Utinam tandem inveniatur ratio aliqva, qva pax & qvies reduci poſſint. Sed vereor, ne noſtræ iſtæ, qvas tot ſpectamus annos, imò agimus, tragœdiæ ita implexæ ſint, ut niſi attrahatur machina, ſolvi vix qveant. Ita plane artificium periit. Sed de his togati noſtri viderint. Qvicqvid interim accidet, id nos putemus ferendum potius, qvam deplorandum eſſe muliebriter. Et literæ ipſæ ſatis nos ſolabuntur. Vale.

LXXVIII

Henrico Kitſchio,

Salutem & Amorem.

QVi revera erga te magnus. Et qvidni? cum te videam conſpirare mecum in hoc affectu. Teſtor literas tuas mero melle, mero amore ſtillantes: qvæ cum binæ eſſent, bis qvoqve me affecere. Perge, mi Kitſchi, & decurramus hoc æqvor ad ultimam illam usqve calcem. Aſinum tuum admodum videre aveo; qvi ſi ex Typographiæ carcere emiſſus, fac ad me ſtatim excurrat. Nec profecto carduis eum, ſed roſis qvidem excipiam, velut alterum Apulejum. Libros Puteani hic mittit Helvvigius: Paſſeratii tamen Catul-

ullus comes additus non eſt, qvippe qvi penes ipſum non fuit. In Schureri bibliopolio habetur, ſed deſtinare indè noluit. Tu ſi voles, ego mittam: conſtat 7. florenis. De Horteſiano condoleo; Sed inſolens hoc ſeculum facit premére virtutem. Moldenaurum benè habere ſpero. Vidi enim literas junioris Comitis ad Spigelium noſtrum, qvi recipiet. Cætera neſcio qvæ nova flamma in Hungariâ gliſcat, Sileſiam turbare, literæ qvoqve monent. Cujus rei fax & flabellum ſacerrimus ille Epiſcopus Neiſſanus. Fama hic eſt & conſtans, Dominum Electorem Palatinum brevi ad noſtrum Electorem inviſurum. Et ſanè nuperè legatum miſit, & Electorem noſtrum qvatuor eqvis longe pulcherrimis donavit. Sed hæc publica. Deus autem reſpiciat ad nos & ſuos tegat. Interim non ceſſemus ταῖς χάϱιτι ταῖς μȣσαις συγκαταμιγνύειν ἡδίςαν συζυγίαν, ut ait Euripides. In qvo ſalve & ex ſententiâ vale porrò, mi amiciſſime Kitſchi.

LXXIX.

Eidem.

ITerum te ſaluto, mi Kitſchi, ſedet enim jam olim neminem prætermittere, qvi ad vos commeet, præſertim tam hominem amicum, atq; mihi iſte multis abhinc annis. Præter enim candorem & modeſtiam, qvæ ſane in illo utramq; paginam facere poſſunt, tantam eruditionem aſſecutus eſt, ut nemini paulò humaniori non in deliciis pariter atq; amore haberi mereatur. Noſtras enim literas Græcas & Latinas accuratè doctus tam verſâ qvàm proſâ ad veterum elegantiam

ſcribit. Juris autem ita Cultor, ut jam Myſtarum nomine jure meritiſſimo vocari poſſit. Sed ſatis tibi Juvenem iſtum commendatum arbitror, ſi ſcribam mihi ſummè eſſe amicum. *Cætera* tu periclitare, non verba, ſed rem experieris. Literas noſtras ſuperiores cum libris ab Helvvigio accepiſſe ſpero. Nec qvicqvam amplius ſcribere habeo, qvàm te hujus ſimiles, hoc eſt, doctos, amare, æſtimare, colere. Qvorum primò, ut feciſti hactenus, ſi & me porrò dignatus fueris, maximâ beatitate affectum me deputabo. Vale, mi optime & clariſſime Kitſchi, & qvicqvid huic meo feceris, mihi putato factum. Vale!

LXXX.

Eidem.

TU verò nepotari mihi videris, mi Kitſchi, ita prodigus es, non qvidem auri ac argenti, ſed literarum. Qvibus binis me unâ horâ heſternâ die oneráſti. In qvarum alteris neſcio qvid de me luſiſti. Non enim ſatis tibi fuit *Nobiliſſimi* titulis obruiſſe, niſi me qvoq; Tragico planè hiatu *heroëm arte & Marte potentem pronunciares*. Crede mihi, qvum iſta legerem, riſu penè diſſilui. Igitur, ne qvid impoſterum pericliter, qvantum potes, ab iſtiusmodi ratione abſtinebis. Neqve enim Archilochus, qvi gloriari poſſim:

Εἰμὶ δ' ἐγὼ θεράπων μὲν ἐνυαλίοιο ἄνακτ☉·
καὶ μȣσῶν ἐρατὸν δῶρον ἐπιςάμεν☉·.

Et fallor an hodie, aut pauci aut potius nulli. De Rutgerſii variis nihil refragor illis uti Dn. Wendelinum. Qvicqvid enim librorum penes me, non ſolum meos eſſe arbitror, ſed amicorum.

Sed

Sed tamen vide, ut, qvàm primum fieri poteſt, ad me reditum faciant. Martinio colloqvar, & veternum hominis excitabo, ut ad literas tuas reſpondeat. De Græco noſtro; neſcio qvò res ejus evaſuræ. Qvas pejores longè reddidit, qvod fugit, & qvod vallum noctu tranſiliit. Qvod noſti per ſe capitale eſſe Sed ipſe viderit. Vale.

LXXXI.

Henrico Kitſchio S. P.

MI Clariſſime Kitſchi, literas tuas accepi, ut & leges ſtatutaq; Gymnaſii veſtri: & ago gratias. At verò de annulariâ tuâ, qvod ſcribis, nec vola, nec veſtigium. Igitur mittes: nam carmen illud, qvòd in fine adjunxiſti, Elegiacum, valdè aveo videre. Ad leges, omnia rectè & ordine, Neq; melius

Aut cor Socratis aut jecur Platonis,

ut illum veterem verſum paulò immutem. Videte modo & laborate, ut ſarta tecta illa ſint: & veſtræ Scholæ longam auguror felicitatem. Sed mi Kitſchi! qvorſum illa in literis tuis, convitiantem tu DEus fuga? item qvando te bonarum artium & partium aſſertorem? An ſcelus qvoddam inceſtare famam tuam ſuſtinuit? ego ita interpretor: & qvomodo ſe res habeat, credes fidei & amori meo. Qvi certè non tepet aut langvet, ſed magis magisq; vivaciori exſurgit flammâ, & ſi tu eum animare mutuâ curâ perrexeris porrò, nihil dubito, cum illo Veſtali igne æternum fore. Platnerus in patriam abiit: Juvenalis cœptus non eſt, propter defectum chartæ elegantioris. Dedit

nu-

nuper ad me literas, iis ſalutem tibi dicit, rogatqve, ut illud opus ſuum epigrammate velis exornare. Facies, ſpero, & mihi mittes interim, qvi rectè curabo. Imperator adhuc Dreſdæ agit, propter valetudinem; qvæ hactenus ipſum vetuit pedem conclavi efferre. Comes de Fürſtenberg Cæſaris Comes, dum mane ad gutturnium ſtetit lavaturus manus, illico concidit repentinâ morte oppreſſus. Vale mi Kitſchi.

LXXXII.

Eidem:

FAteor, mi Kitſchi, langvuit hactenus literarum officium; & neſcio, an ſidere iſto defatigati diſciplinam deſeruimus. Redeamus in ordinem tandem, & ecce, ſi forte opus, me ſufflaminatorem. Mitto autem Carmen illud, qvod ſuperiore Pentecoſtes intimavimus; (ô me lentum!) non illud ad cultum Tibulli, aut eruditionem Propertii, aut Ovidii ingenium elaboratum eſt; ſed rude, & ut ſic dicam,

- - *Properanti falce dolatum;*

Nec pedem alternum, ſed totum corpus r factum. Sed qvia tu voluiſti, habe.

Tibi qvod intriſti exedendum eſt. Sic vetus verbum jubet:

Compedes, qvas ipſe fecit, ipſius ut geſtet faber.

Sed de Brodeo in Epigrammata Græcorum, de Leopardo qvid ſperandum nobis? nihil qvidem hactenus: igitur fac qvamprimum ſciam. Theſaurum Stephani Spigelius, qvamprimum poterit, remittet. Neſcio qvid ænigmatum ſive Griphorum, item de ſeptenario numero, verſificavimus,

Qvæ

Qvæ miſiſſem, ni tædium exſcribendi interceſſiſſet. Si flagites, & illa vivent, habebis. Vale.

LXXXIII.

Henrico Kitſchio

S. P.

Literas tuas, mi Kitſchi, & cum iis Diſcurſus tuos rectè accepi. Pro qvibus minores gratias tibi debeo, qvod tardè & meis precibus victus miſiſti; non tua ſponte. Nôſti illud: *Maximô beneficium vendit, qvi accipit preces.* Sed tamen gratias ago. Atqve ecce ἀντίδωρον tibi χάλκεον planè ἐπὶ χρυσέοις. Sed oportet te hoc Catone contentum eſſe. De Luſaticis DEUS viderit, faxitqve, ut nobis & Eccleſiæ bono. Sed qvid de clade illâ Bohemorum? En dexteras infirmas, qvibus ſpes ſuas poſuerunt! omnes. qvos audivi hactenus, cauſas rejiciunt in fœdam Hungarorum fugam. Sed nolo in cauſas inqvirere. Et fortaſſe hic aliqvid divini.

Qvicqvid patimur mortale genus,
Qvicqvid facimus, venit ex alto.

Qvæſo te, de Statiano negotio, qvid tam altum ſiles? ſi fruſtra ſpero, maiurè mone & ſine ambagibus. Manuſcriptos Palatinos Gruterus noſter contulit. Cujus excerpta, ut & cætera, qvæ in illum Poëtam meditatus idem amicus, haberem, niſi Roſtochii apud Zenzerlingum hærerent. De Bergmaniano MSto multa maxima mihi ſum pollicitus. Idcircò jam ſerio rem ago. Et ſi copiam ejus mihi impetrare poteris, iterum dico, regem feceris. Qvare te virum benevolum præſta. Cui etſi aliâs multa debeo, tamen longè majora debebo,

debebo, ſi hoc beneficium accedat. Vale.

LXXXIV.

N. N.

NOn poſſum ſcribendo exprimere, qvantum animi angar, atqve ſollicitus ſim de Rutgerſio noſtro, poſtqvam de clade Bohemorum, & deditione Voſtratis Pragæ accepi. Et meritò qvidem. Nam ut nihil dicam de ejus in me ſingulari affectu, qvem tamen nullo meo merito meritus; qvanta in eo prudentia, qvanta eruditio? qvam ſi divinam dixero, nihil puto erravero. Etenim ſi divina illa dicimus, qvæ raró homines aſſeqvuntur; qvidni ego ei hoc tribuerim, qvi paucos & numerabiles habet, qvi cum eô comparari poſſunt? Teſtantur hoc Venuſini, teſtantur variæ lectiones, qvibus nec ipſæ Muſæ magis muſicæ eſſe poſſunt. Jam qvid dicam de obſervationum in Horatium libris? Qvid de Animadverſionibus in Rutilium tuum, qvas jam adornari ab eo ex ipſo cognovimus; qvin & qvædã vidimus. Qvæ ſi pereant, (ſi videlicet qvid ipſi acciderit, qvod Deus omen avertat!) qvanti damnum bonis literis patiendum? Qvare per Muſas te rogo, ſi qvid acceperis de eo, ad me perſcribas, & mihi timorem meum demas: qvi ô utinam vanus! De Statiano loco qvæſo me juves. Legitur Præf. *Silv. l. 2. Qvum ego & Polla Argentaria chariſſima uxorum hunc diem fortè conſecraremus*. Cur chariſſimam uxorem vocat? Duxitne Statius Pollam? Certè doctiſſimus Savaro ad Sidonium huc ivit; & in illam ſententiam illos Sidonii verſus.

Qvid

Qvid qvod duplicibus jugata tædis
Argentaria Polla dat Poëtas;

explicavit. Sed hoc mihi hactenus perſvadere non potuit. Primò qvod nullus alias veterum hoc prodidiſſet: deindè, qvod ex Statio ipſo contrarium poſſe colligi videatur. Duxit Statius Pollam vel poſt Claudiam, vel antè. Ante non potuit. Hæc enim primus ei amor, ut ipſe teſtatur *Lib.3. Silvâ ultimâ*. Poſt eam vix potuit. Nam ſenem Neapolim receſſiſſe ex eadem Silvâ conſtat. Adde qvod hic libro ſecundo, qvem mihi Romæ poſitum ſcripſiſſe certum eſt, Pollæ meminerit: qvum demum Claudiæ in tertio, & qvum jam Neapoli eſſet, certè eò meditaretur. Qvæ & ali aqvum conſidero, non adduci poſſum, ut credam, Pollam unqvam Statii conjugem fuiſſe, interim tamen nihil habeo, qvod ad Sidonii locum reſpondeam. Ad noſtrum Statium, expedita puto res erit, cum qvibusdam libris & Domitiani Codice legamus: *Clariſſima uxorum* ut *Matronarum*. Clariſſimam autem vocat propter Conjugium maximi tempeſtatis illius Poëtæ. Nihil apertius. Sed tu iniſtis nos vel confirmabis, vel corriges. Vale.

LXXXV.

Michaëli Piccarto

S. P.

Diu haveo, Piccarte Clariſſime, & notus tibi eſſe, & (niſi hoc improbum votum) amatus. Illud ut facilè vel ab his literis impetrem, ita alterum planè neſcio qvâ ratione poſſim conſeqvi. Qvod ſi ad conciliandum amorem alterius nihil

ma-

magis facit, qvàm eum amare, jam benè ſperare incipio. Nam, ſi qvemqvam mortalium, te, Piccarte, ſane diligo, amo, idqve unice, & ut cum Comicò dicam, efflictim. Cauſas ſi tu diſſimules, novit tamen orbis eruditus, nec unqvam deſinet prædicare. Igitur malo ſuperſedere illis recenſendis: laudandus enim eſſes. Qvod apud te facere, niſi inepti eſſet, adulanti propior viderer. Alii hac viâ apud alios, ſed tui diſſimillimos ſe inſinuent: tibi, qvi jam olim Sophocles illos & laudicænos riſiſti & tantum non deſpuiſti, ſi ſimpliciter apud te ſine pompâ ac ſtrepitu amorem meum profeſſus, perqvam illud ſuffecerit. Ac ſi Viri Principes non tantùm ſuæ fortunæ homines amant, ſed & plebejos qvandoq; & de turbâ, cumqve iis intra fortunæ ſuæ decumana verſantur: neqve tu, Piccarte, licet excellentis doctrinæ merito in qvodam velut famæ faſtigio poſitus, obſcurum hunc literionem faſtidies penitus, & amicitiâ tuâ putabis indignum. Neqve enim fieri poteſt, ut qvi tanto applauſu hactenus à ſitu vindicas humaniores illas literas, jam penè fugientes, non ipſe humaniſſimus eſſes. Age igitur, & ſi amor meus tibi non ingratus eſt, in tuam amicitiam admitte: Qvod ſi conſeqvar, rex ero. Vale.

LXXXVI.

Conrado Bavaro

S. P.

Nunc etiam pecudes umbrasq; ac otia captant,
Nunc virides etiã occultant oſpineta lacertos.
Et nos æternus labor urget & usq; fatigat.
Clamore aſſiduo nobis rumpenda cathedra eſt,

Quam-

Qvamvis vix totidem, qvot egoſint tuq; Magiſtri
Qvi dictata velint peritura credere chartæ,
Aut dare fallendi vel cauſâ temporis aures.

Ita tibi affirmo, mi Bavare, qvotidie cogor partes meas agere, qvamvis ſit vacuum ſeſſore theatrum. Nec enim advocationem concedit hoc tempus, qvo nimiis æſtibus infracti ad omnes res inepti reddimur. O in qvam ſervitutem ſervati ſumus! Ergone doctorum pejor qvàm mulorum conditio ſit? Cæterum malè officium facit, qvi coactus facit. Qvod tamen illi non intelligunt, qvi: Sed taceo. Etſi Amyclas perdidit ſilentium. Literas haſce cura ad eos, qvibus inſcriptæ. Sirmannum velim de reſponſione urgeas. Vale, & Collegas tuos, qvibus nomen meum non ſordet, ſaluta.

LXXXVII.

Conrado Bavaro
S. P.

Egon' mearum partium parum memor,
Humanæ ego oblitus rotæ?
Ut qvi ſuperbi cæteros faſtidiam
Umbras ad unum omnes putans,
Et ſtultus admirator ipſe ſim mei,
Honore purpuræ tumens:
Nec faſtuoſo deditus ſilentio,
Lucillii vel nunc tibi
Reſpondeam ad tuas, amice, literas
Doctiſſimas, Svaviſſimas?
Bona verba qvæſo: non ego iſtorum reus,
Tantum haud mihi hæret criminum.
Egone honore faſcium ſuperbiam,

Sceptriqve magnificentia,
Qvod ſumſe nunqvam, (ſi mei res arbitri)
Aut alteri mox tradere
(Si fas) velim hercle? namqve ſvavius mihi
Libris vacare, & Aonis
Vireta pervagari & hortos aureos
Flores beatos diligens
Hiantidumqve bibere melleos modos
Sorbrum avaris auribus:
Qvàm jurgioſa litium convitia
Reorum & anxias preces,
Donare totas qveis modo cogor dies:
O triſte honoris præmium!
At longa ſilui, langvideqve amans nihil
Tibi ſtudui reponere?
Juro, Bavare, per Novenſiles Deos,
Communia nobis numina,
Non eſſe factum id, ac ſi ego oblitus tui:
(Te nulla mi auferet dies,
Tu mentem inusqve inusqve habebis cor meum,
Amore te jugi colam.
Qvali aut Tibullus *Flacci amavit cor catum,*
Lucens cui ſatis focus:
Qvali Maro illum, qvem mari & lingva malum,
Lycoris ante perdidit.)
Qvaſi Nearis paululum qvondam ſuis
Abeſſe amatores ſolent,
Vires ut illa flamma ſumat à mora,
Iucundiusqve aduſtulet:
Subduxi, Amice, paululum ſic me tibi &
Te tardiuſculè alloqvor:
Ut hinc amemus acrius, & veniam tibi
Deſiderabilis magis.

LXXXVIII.

Conrado Bavaro,

Lipſ. Poët Prof.

DOcti atqve terſi Carminis Pater, jocos
Severitate temperans,
Bavare, qvid ab me, qvid tacere tamdiu,
Et literas ad Te dare
Adhuc inauſum, me qvid, inqvio, increpas,
Qvi KITSCHIO, te olim, meo,
Amore magno colere & animo candido
laudatus affatim fui:
Magnas arandi literas mihi gnarus es,
Os eloqvutile eſt mihi;
Non me ſupellex chartea, haud claudit ſtylus
Effodere ſemibarbarum
Potens, tacere pertinax potui tamen
Nec literas ad Te dare?
Audi, BAVARE, audi ſic tuo dicto audiens
Facilisqve Pieris fuat.
Non iſte faſtus, cultus at magnus fuit
Et DIS beatis debitus.
Si non Deus, mihi Muſicus Semo-Hercules
Fuiſti inusqve; hinc par fuit
Te nempe cultu proſeqvi me Semonis,
Humana qvi ſupra caput
Apollinari laurea vinctum extulit
Celſô aſtra tangens vertice.
At me Camœna cogit ignotum hactenus
Humilis ad Albim degere,
Interqve vulgi ignobiles vates rudis
Cenſeri. Et hinc, viſum tibi
Opuſculorum nil meorum unqvam uſpiam,

In poſtera mirari ſuge.
Qvod ſi in tua me amicitiæ intromiſeris
Sacrarium, ut Epoptam novum,
Næ me beatum deputabo, & maxime
Meam beatam ad Leucorin,
Nec unqvam amare deſinam & te proſeqvi
Honore literario.

LXXXIX.

Eidem.

ADhuc me tenet Lipſia veſtra non tam amœnitate, pulchritudine, magnificentiâ ſuâ, qvàm tot egregiis in eâ viris. Qvos peſſimus ſim & ingratiſſimus, niſi æternum venerer, colam. Inter illos verò te, Bavare, præcipuè: Cujus ſummam illam in me humanitatem, ſtudium, liberalitatem ſine animi ſenſu recordari nunqvam poſſum. Hujus tamen gaudii ac voluptatis meæ dulcedinem corrumpit & amaricat veluti ultimæ illius veſperæ recordatio, qvâ ita me præter morem geſſi, ut adhuc qvoq; pudeat pigeatqve. Ego qvid prætendere poſſim, non habeo: Cogitabitis tamen interim largiorem potum proximum ad inſaniam iter ſternere.

Cum vino ſimul ipſa ſubit dementia pectus:
Et ſapere ac potis vix licet eſſe Diis.

Literæ ad Nymmannum noſtrum neſcio, an apud vos relictæ, an inter viam perditæ. Ego te dediſſe vix altero die, qvum domum redii, recordatus. Et hoc veſperæ illi imputandum eſt. Interim tamen planè erubeo & veniam peto. Friderichum & Graulium qvæſo ſalutes. Sed & Tuam (jure meritòqve ſic appellandam) *Heroinam,*

nam,cujus inſignem Virtutem ac humanitatem non ſatis mirari,imò exoſculari potero. Valete,aureæ animæ,& mihi ignoſcite, qvi æternum obnoxius vobis.

XC.
Conrado Bavaro
S. P.

Egregium tuum facinus,Bavare,qvi ita deditus fuiſti lacrymis,ut vacare iterum lætitiæ, ita luxiſti tuam,ut aliam poſſes amare. Non eſt illa vera ſapientia, qvæ tota tetricitate conſtat: Nec invenere laudem, qvibus natura ſua exuenda fuit, ut ſe viros probarent. Benè igitur factum,qvod ita te geris, ut virum pariter & hominem oſtenderes. Neqve verò putare debes iratos id tibi manes Conjugis. Favent; & fallor, aut te tumulo adgratulantur votis tuis. Ego verò qvam vellem adeſſe tibi & coram intueri tuam felicitatem? Sed jam non licet: & tu cauſas facile indagare potes. Interim grator, grator, inqvam, tibi, & vetus illud bonâ fide acclamo: FELICITER! Donum etiam mitto & carmen. Utrumq; boni conſules & metieris communem temporum fortunâ,qvæ nos non modò paupertimos,ſed & ad ſcribendum hilarius aliqvid planè reddunt ineptos. Mitto & duo alia epigrammata,qvæ Kleppiſius Emblematibus ſuis Rectoris noſtri nomine (is eſt Nicolaus Hunnius S. S. Th. D. & P. P.) præponet. Vale & fortiter age rem tuam.

Nunc ſatis in lacrymis fuerit diſperdere vitam,
Eataqve dilectæ Conjugis atra qvert.

Aſſere te, Conrade, tibi, vitæqve prioris
Delicias veteres & tibi redde jocos.
Jam tibi mutato procurrunt ſtamina filo,
Et Lacheſis niveam proſpera texit ovem.
SIMENIANA tua eſt: qvantum Latonia præſtat
Naides, Octæas candida Luna faces,
Tantum illa omne genus nymphas: ſtat florida membris
Gratia, & ingenuus ridet in ore pudor.
Gratâ oculi pietate nitent: qvid ſtemmata dicam?
Clara patre, Ingenio ſed mage clara ſuo.
Hac omnes tranſcendit opes: jam redditur omne,
Qvicqvid ſæva tibi funeris hora tulit.
Et meliore AGNES poſt urnam lege recurrit,
Qvàm qvæ Threiciis umbra redempta modis.
Macte novis Vates tædis: tua gaudia carpe,
Namqve in Simeniâ porro Nymannin habes.

XCI.
Conrado Bachmanno
S. P.

NArro tibi metamorphoſin meam, mi clariſſime Bachmanne. Conſtitueram nuper penitrare me in umbroſas illas Heliconis oras, inibiqve abdere devitandis hiſce calidiſſimi ſideris æſtibus. Jam vocare viam inſtiteram, ecce, malum, incido in qvem vetulum veneficum, niſi me mea memoria fallit, Sympoſii vocabulum ipſi erat, is delenifico ſuo carmine ludens adeo de me me exire fecit, ut ſi OEdipus es, jam Sphinga in-

a inveneris. Qvanqvam de te melius ominer, non præcipitium, ſed vero auxilium exſpe- tem. Sed qvid te his nugis ambagibusqve de- neo? Neſcio, qvid nuper ænigmatum ſive gri- horum, nam qvod nomen mereri poſſint, non video, verſificavimus, fallendi æſtus gratia. Illud omne mitto tibi, ut rationem habeas ocii noſtri. Amamus profectò nævos noſtros & cicatrices, nec ſoli vitio noſtro peccâſſe contenti affecta- mus etiam, ut amentur, ait ille. Dedi nuper Stu- dioſo cuidam Juris ad vos commeanti literas. Eas, puto, accepiſti. Siberi Epitaphia qvod attinet, tricatur Bibliopola, & typographeum nondum viderunt. Igitur ſatis citò, ſi jam mittes. Non enim, puto, negaveris corollam qvalemcunqve amici veteris memoriæ ſuſpendiſſe. Ego tripli- ci Epigrammate mactavi, qvorum ultimo aliqvid in illos Sylvanos luſimus. Vereor tamen, ut propitio Veneris comite Deo Joco. Commen- taria in Virgilium Taubmanni noſtri τȣ μακα- ρίτȣ eleganter apud Schurerum excudi cœpta ſunt, eaqve ſub nundinas Lipſienſes hiemales vel Francofurtenſes vernales certò abſolutúm iri confidimus. Egregium opus, & de qvo mul- tum debemus ipſi, qvicunqve Virgilium, hoc eſt Eruditionem amamus. Tu cum illâ & me qvo- qve, Bachmanne Clariſſime, Vale.

XCII.

Conrado Bachmanno

S. P.

LIteras tuas, Bachmanne Clariſſime, illasqve amiciſſimas, accepi. Qvo animo, facilè con-

jectare poteſt, qvi novit, me vel ad nomen tuum præ gaudio exilire. Cæterùm qvæ in principio earum ſcripſiſti, nolo attingere, & vel de te, vel me etiam qvidqvam facere verborum, ne fiat mutua muli. In Winckelmanni Sanctiſſimi Senis, & qvi plurimum à me ſalveat, filii obitum Epigrammation qvoddam hic accipies

- *properanti falce dolatum.*

Scio id patre & filio indignum. Miſi tamen, qvia in iſtâ feſtinatione, & qvum aliis curis occupatus, melius producere non potui. Et certè non ſemper ingenium in numerato habeo, & Muſas adeò faventes. Aſpernantur ſæpe delicatulæ illæ Deæ amplexus meos & refugiunt, ac non niſi crebris precibus exorantur. Igitur excuſabis, ut qvi multum præſtare qvidem volui, non potui tamen. Servius Danielis eſt, qvem Petrus Daniel, homo Eruditiſſimus, Senator Regius Pariſiis ex MS. edidit, qvi omnium optimus cenſetur. Nam vulgaris ille & qvem Fabricius edidit, variè interpolatus eſt, & habet multa ſpuria admixta. Prædictum Danielis Servium aliqvoties Scaliger ad Catullum & alibi citat, inediti Servii Danielis nomine, item Servii Danielis in ſchedis. Sed hoc illo tempore. Jam editus eſt, ſed rarò inveniendus in bibliopoliis noſtris. Citatur & alibi Servius Fuldenſis: hoc eſt, qvem Franciſcus Moditus & neſcio qvis alter, de MSto Fuldenſis bibliothecæ deſcripſerunt. Sed tantùm ad *lib. 2. Æneid.* Comment. continet. Cætera interciderunt. Multa habet ille arguta, multa recondita, qvæ nec in vulgari nec Danielis

Servio,

Servio, imò nullibi aliàs invenias. Idem cum Danielis conjunctim prodiit è Galliis. Naſcimbonus Naſcimbenius Gallus eſt, qvi ſuperiore ætate in Maronem Commentarios, eosqve eruditiſſimos, ſcripſit. Sed illi penes me non ſunt. Qvi pro Taubmanno ſcripſit, non eſt filius, ſed Alumnus qvidam Academiæ noſtræ, & hujus urbis civis, nomine Jacobus Blum, qvi aliqvid ſtudii in politioribus iſtis literis ponere voluit. Sed ſolius Lipſii fere admirator eſt, cujus totus eſt, ut ſtylus facilè arguet. Tantum eſt. Vale.

XCIII.

EIdem.

QVod ad tuas humaniſſimas literas, Bachmanne Clariſſime, non reſponderim, profectio mea in Academiæ cauſa cauſa fuit. Nam ſi adfuiſſem, cum tabellarius ad vos meditatus, qvæ negotia impedire poterant ſcriptionem ad te, qvem unicè in oculis imò & corde geſto? Qvod autem ſuperioribus ſcripſiſti literis, meas te non accepiſſe, valde doleo. Nam de variis rebus agebant, maximam verò partem de Tibullo. Agebant enim tibi gratias pro tam humaniter miſſo exemplari Poëtæ illius; docebant porro penes me ferè omnes, qvi in illum Poëtam ſcripſerunt, nempe Beroaldum, Parthenium, Muretum, Achill Statium, Scaligerum, Paſſeratium, Douzam Filium, Douzam Patrem &c. Qværebant item, qvid tu cenſeas de trajectionibus Scaligeri in illo Poëta, à Caſaubono & aliis laudatis, à Lipſio ſolicitatis in partem, à Grutero verò ſuis ad me literis prorſus improbatis? Item

qvid de illo Serviano videretur, qvo ſtatuitur *propago* pro vitæ prima longa, contra pro gente brevis. Cum tamen in utroqve ſignificatu verbum *propagare* ancipitem primam habeat, ut ex Lucretio probari poſſit. Hæc, niſi fallor, & qvantum meminiſſe poſſum, literæ illæ continebant; Qvæ cur redditæ tibi non fuerint, cauſa eſt, qvod ſtudioſus ille, qvi ad vos cogitabat & cui tradideram, in ipſo itinere conſilium mutavit, Jenamqve deflexit, ibiqve hæſit, hæretqve adhuc inibi, nihil tamen literarum remiſit. Siberi Parentalia prodiere in lucem. Habes hic exemplar. De Jubilæâ feſtivitate, feliciter ſcias eam exactam. Ipſe juſſus Heroicum recitavi, cui videre publicum hactenus non licuit, cum nec mihi illud revidere. Qvod qvamprimum, ita fiet, factum fuerit, deſcriptum mittã, ut arbitreris, & ſi qvid fugit nos, ut certe fugit, moneas. *S*ane cum elegantiſſimo Plinio cogito, qvàm ſit magnum dare aliqvid in lucem; nec perſvadere mihi poſſum, non & cum multis & ſæpe tractandum, qvod placere & ſemper & omnibus cupias. Vale amiciſſimum mihi & venerabile nomen, Bachmanne. Vale.

XCIV.

Conrado Bachmanno S. P.

CLariſſime Bachmanne! Perqvam vellem eqvidem ad illas tuas ultimas amore pariter & eruditione madidas literas reſpondere, niſi tot negotia & curæ, qvæ mihi hoc temporis, dum Rectoris ſuſtineo provinciam, incumbunt, impedi-

pedimento eſſent. Reſpondebo tamen ſuo tempore, ſi vivam, qvidqve de omnibus, qvæ qvæſiviſti, ſentio, exponam. Facile autem hanc moram mihi condonabis, ſi recordabere, qvantum otii illi, qvi has ſuſtinet partes. Orationes noſtras Jubilæas mitto, qvibus cum & carmen meum, me tamen invitiſſimo, nec emendate ſatis editum. Nolim itaqve de eo qvicqvam prius judices, qvam elaboratum melius & á me editum legas. Qvod fiet, qvamprimum otioſo mihi licebit eſſe. Taubmanni Virgilius vidit lucem, qvem miſſum ſpero a filio editore. Si qvid novi apud vos, fac ſciam. Vale, mi Clariſſime Bachmanne, & porrò meus eſto. Vale.

XCV.

Eidem.

CLariſſime Domine Bachmanne! Literæ tuæ mihi rectè traditæ qvantâ lætitiâ me affecerint, dicere non poſſum; Nam perſvadeas tibi velim, nullas unqvam mihi gratiores eſſe, qvam qvæ ſibi Bachmanni nomen ſubſcribunt. Itaqve te rogo, ut nullam occaſionem prætermittas, qvâ me affari potes. Ut enim illæ Cephaliniæ capræ beatas illas Favonii auras, qveis vivere traduntur, ore patulo captant: Sic & ego tuarum illud literarum nectar anhelo ſemper. Virgilium Taubmanni videbis, cum Bibliopolæ noſtri propediem ad Francofurtenſes proficiſcentur nundinas. Cum illis enim filius exemplar mittet. Cæterùm qvod me Rectore voluiſti civis fieri Academiæ noſtræ, immane qvantum mihi gratulatus ſum. Ut autem majore tui honore id fieret, toti

Sena-

Senatui Academico expoſui, illa ipſa verba, qvibus à me id petiiſti, ipſi matriculæ inſcribentur, ut teſtimonio ſint poſteris qvoqve, qvanti feceris Academiam noſtram. Qvod ſi & egò impetrare poſſim, ut te procurante veſtræ Academiæ intimarer, in maximâ beatitatis parte deputarem. Vale, mi Bachmanne, & longiores, addo & elegantiores literas à me exſpecta, cum literis fuero redditus: Ab eis enim hoc tempore, dum Rectorem gero, exulare ferè cogor. Vale iterum.

XCVI.
Jano Gebharto
S. P.

DUpliciter me affecere literæ tuæ, Gebharte, pariterqve dolorem mihi & gaudium propinarunt. Te patriâ ejectum, rebus tuis ſpoliatum, ſupellectile librariâ, qvæ ſupra omnes divitias tibi, exutum, nec ſine lacrymis poteram legere. Rurſus in Sveciam te vocatum, Profeſſorem deſignatum, vehementer gaudebam. Mirum fortunæ ingenium: dejecit, ut tolleret; & ut magis prodeſſet, ita ominor, leviter tibi nocuit. Ex patria ejectus es? at non mundo. Spoliatus rebus? reparare potes. Et qvid de iis laboremus, qvibus ſe ſponte non nemo ſapientum privavit. Qvicqvid enim extra animum, fortunæ imputandum eſt. Qvæ Dea illa rapuit, reddere poteſt. Satis beatus es, qvum ille tibi adhuc integer, & ſuæ ſervans dignitatis. Sed deſinamus philoſophari. Tibi verò, mi Gebharte, de novo grator munere, & vetus illud tibi bo-

bonâ fide acclamo: FELICITER! Macte Gebharte, hoc Domini favore, macte; qvem proprium tibi ac perpetuum precor. De nobis: ſane vix magis in te hoſtis ſævire potuit, qvàm in nos nummularii ſæviunt. Qvorum neqvitiâ eò ventum eſt, ut ſordidiſſimarum artium homines meliore conditione ſint, qvam qvi liberalia profitemur. Peſſum nos ire neceſſe, niſi mature nobis ſuccurritur. Cujus tamen penè nulla adhuc aut perexigua ſpes apparet. De Statio fruſtra eſtis. egone iſtam provinciam mihi, cui adminiſtrandæ hactenus tam magni Viri ſe impares judicarunt? Novi ego, qvid ferre valeant mei humeri: nec ex inſanis illis ſum, qvi ſibi laudi fore arbitrantur, majora viribus admoliri. Qvanqvam non ignorem illud vetus, ſi cadendum, cælo potius cadendum eſſe. Ego publicè hactenus interpretatus ſum Sylvarum libros. Id ut dexterius poſſem, petii ab amicis, ut conferrent, ſi qva haberent, qvibus juvari mei conatus poſſent. Inter qvos etiam fuit Segethus, qvi qvum apud Clariſſ. Morſium MStum Statii inveniret, illicò (qvæ eſt Morſii facilitas) illud ad me curavit. Hinc eſt, qvod Morſius putavit à me Statium iri editum! qvod mihi qvidem hactenus in mentem non venit. Et qvis id præſumat, priusqvam Gruteri noſtri in eum curæ lucem viderint. De qvibus, qvæſo te, qvid ſperandum nobis? Memini olim illum ad me ſcribere, eas apud Zinzerlingum obhærere. Qvod ſi eſt, qvæſo, urge hominem, ut editionem tandem adornet. Puto enim, Gruterum omne in illas jus ei ceſſiſſe. Vale.

XCVII.

XCVII.

Joachimo Morſio

S. P.

Ego verò, Morſi Clariſſime, invenire rationem non poſſum, qvi reſpondeam præſigni illi tuo affectui in me, & humanitati, qva me tam prolixè hactenus proſeqvi voluiſti? Nam qvid laliud ſibi volunt ſalutationes illæ amiciſſimæ, illaq; munuſcula (ſcripta à te edita dico) præ qvibus, peream, niſi omnè aurum ſordeat mihi & argentum. Jam de Statio qvid dicam, qvem tam longo tempore commorari apud me, hominem ignotum planè & nullius in literis nominis, ſatis comiter permiſiſti? Bonâ fide affirmo tibi, toties erubere me, qvoties iſta recogito, & eò magis, qvod vix in me videam aliqvid, de qvo dignus tanto tuo ſtudio mihi videri poſſim. Sed habet hoc plerumqve egregia virtus & eruditio, ut à ſupercilio & faſtu procul ſit, nihilqve ſe dignum magis exiſtimet, qvam humanitatem coluiſſe. Statium autem tuum remitto nunc tandem unà cum literis Magni Lipſii ad Barclajum datis, & ago ingentes tibi gratias, qvod tam humaniter mecum communicaſti. Utinam verò magnus ille Vir plures lectiones de illo ſuo depromptas codice literis iſtis commendâſſet, in paucioribus fortaſſe ſudaremus. Ipſum enim videre codicem improbum non nihil votum videatur. Te autem minimè omnium latet, plurimà eſſe loca in illis Silvis, qvæ conſtituta nondum ſatis & explicata. Cauſam puto, pauciſſimos inveniri codices manu deſcriptos, in qvibus

ſalvæ

ſalvæ iſtæ inveniantur. Cæterùm tuus iſte codex planè cum Bernartianis conſentit. Et ſuſpicio mihi nata, Virum illum non malè de Papinio meritum eo uſum fuiſſe. Fragmenta veterum Poëtarum cum emendationibus Merulæ, de qvibus ad Blumium noſtrum ſcripſiſti; item ſi qvæ ad Prudentium habeas, ſi communicaveris; me prorſus feceris beneficii tui. Eqvidem tenerrimè amo illum poëtam tum ob ingenium elegans & Poëticum planè, tum ob ſingularem illam & verè priſcam pietatem. Plura erant, mi Morſi, de qvibus volebam ſcribere: Sed negotia, qvæ me ſibi implicant, id non permittunt. Unum hoc ſcribo, amore me tuo langvere prorſus, & nihil vovere magis, qvàm ut corporis amplexu qvoqve tuum tam eruditum tam candidum pectus circumcingere liceat. Cui deſiderio meo & ipſa modò fortuna videtur favere; qvæ Magdeburgum te, ut audio, adduxit, unde ad nos excurrere bidui nec totius res eſt. Per Muſarum Te, Morſi, qvæ geris, ſacra oro, ut hoc mihi dare velis, & advolare qvamprimum; noſqve exoptatiſſimo tuo adſpectu exhilarare non modo, ſed & beare. Si ego tanti non ſum, qvem videas: at Wittenberga tamen erit; qvæ multum ſibi gratulabitur, à Morſio non faſtiditam fuiſſe. Vale.

XCVIII.

Heinrico Günth. Platnero
S. P.

ILle Thaltybius tuus næ certè non de morâ ſatus, ut Mulieres apud Magiſtrum leporis, ſed verò de ipſâ ventorum proſapiâ eſt, adeo ille non

it, ſed

it,ſed volat. Eadem enim horâ, imò momentô, qvô accipio, ad tuas reſpondendum eſt, & qvidem inter ipſam cœnam: igitur nihil miraberis,ſi cruda. Cæterum te ſalvum gaudeo; velim tamen exactius ſcire, qvô in locô res tuæ: nam ita ſim felix, valde ego de tuâ ſemper ſollicitus ſalute. Neqve enim profectò qvispiam eſt, cui me totum dederim atq; tibi. Non qvidem, qvod olim & diu inter nos novimus (qvanqvam & id qvidem) qvàm qvod video, te idem mecum ſtadium decurrere, anne & ſæpe præcurrere. Mi, Platnere, non adeò meus ſum, ut non te agnoſcam. Omnia magna in te, ingenium, memoria; qvorum ut illud non omnino deſit, iſta tamen mihi maximè jam claudit, ut ἀρχαϊκῶς dicam. Dum tua in Juvenalem, qvæ mittis, fortè volvo, ut ſoleo ejusmodi, incido in qvendam locum, ubi de *Capidinibus*. Eos, ut putas, Apulejo non primus reſtituit Woverius, niſi fallor, ſed Meurſius ad Arnobium. *Capeduncul0s* Ciceroni, ſi memini benè, Douza Pater. Si gratiâ tuâ fieri poteſt, inqviram & monebo. Plura mihi, qvem poſſides, animus dictat, & prurit excipere manus: ſed tabellarius turbat, & ego aliàs neſcio qvibus moleſtiis diſtrictus. Si erit otium, & alteram tibi manum implebo. Jam contenti ſimus hoc Catone, qvod dicere ſolebat mihi cognominis Imperator. Vale, mi Platnere, & me amare ne deſine, qvi ego te more majorum ſine fuco & fallaciis æternum. Vale.

XCIX.

XCIX.

Eidem.

VIx amata ita *promiſſa gaudia noctis*, atqve ego tuas literas expectavi. Partim ut ſciam, qvo in loco res tuæ, partim ecqvid ad literas noſtras Barthius. Ad iſtud qvidem ſpes, video, decollat: ad te, gaudeo, valere & noſtrum eſſe. Rectori Portenſi, qvamprimum occaſio erit, de Catalogo faceſſam negotium. Qvanqvam lapidi mihi loqveris, cum ſcribis, nihil ibi ad Tibullum. Schurero certè ſtimulus ero, qvod ſi non ſatis, crux acuta. De Epigrammate, illud ſanè tam carè emere non poteras. Ultrò dediſſem hoc tibi: nec deerit certè Kitſchius noſter. Vale, mi ocul-liſſime Platnere: qvi certò Tuus & Muſarum. Vale.

C

Henr. Günthero Platnero

S. P.

AMiciſſimas literas tuas, Anime mi, accepi, & unà ablectiſſimos lectionum Juvenalium libros. Editionem qvod attinet, ſuſcepit eam Schurerus noſter, ſed & tuâ & meâ ſpe longe ſeriorem. Qvia enim operæ jam in recudendo Plauto Taubmanni à Grutero noſtro recenſito iterum, & luculento auctario macto, ſudant, qvem circa proximas nundinas Francof. vernas abſolutum iri ſpero: & deindè Virgilius marginalibus notis ex Taubmanni Commentario maximam partem, prædicti Schureri monitu inſtinctúqve à me defloratis, prælo committendus eſt, vix ante mediam æſtatem hic nobis aliqvid ſpe-

N ran-

randum. Qvod ſi aliqvod periculum in mora, qvamprimum mihi ſignificabis, ut vel cum Selfiſchio vel alio qvopiam de iſto negotio agam. Non enim deſpero me inventurum, qvi hanc provinciam in ſe recipiat. De honorario, puto, impetrabo id tibi apud Schurerum, qvi Lipſiam profectus nubenti cognatæ ſuo ſolenni officio adeſt. De Correctore & ipſe laborabo. Verbo, omnia agam, ut nitidè & emendatè prodeant. De carcere tuo, næ ego pænè gaudio diſſilui. Qvi ut æternum te habeat, ſine voto libertatis, opto precorqve. Tuæ vero illud Tibulli mei interim (donec Muſa noſtra aliqvid ipſa procudat) acclamo.

Hoc tibi Conjugium promittit Delius ipſe
Felix, hoc alium deſine velle Virum.

Cæterum in regno meo, de qvo ſcire volebas, ſatis felix, beatus ſum. Etſi enim non lautæ ſint res noſtræ & amplæ, ſunt qvietæ tamen & placidæ; & intra ſordes. Divitias & honores nec ambio certè, nec inhio. Hoc mihi votum eſt frui paratis & integrâ

Cum mente nec turpem ſenectam
Degere; nec citharâ carentem.

Valemus & ego & mea, & meus qvoqve (nam & hunc dedit benignum Numen) omnes te & tuam qvàm diutiſſimè optamus. Cui tu & mea causâ Catullianum qvæſo oſculum, dulci dulcius ambroſiâ. Vale.

CI.
Henrico Günth. Platnero
S. P.

Melle profectò mihi atqve placentâ frui videor, qvum tuas literas accipio, mi Platnere, non tam qvòd veræ eruditionis puriori ſtillent nectare, qvàm qvòd amore in me madeant planè. Igitur etiam atq; etiam rogo, nullum prætermitte commeare huc ſine literis tuis. Ego qvod videbo certè, ut mittam aliqvid non qvidem afficiendo ſtomacho tuo, (nam iſta talia mactea non poſſum,) ſed explendo. Ad Lipſianum *prothyrum* qvod eſt, non fefellit certe memoria. Habetur iſte locus *lib. II. Epiſt. Qvæſt. Epiſt. VII.* in hæc verba conſcriptus: *Latini* prothyra *appellarunt, qvæ Græcis* diathyra. *Ea ſunt repagula è ferro, lapide, vel qvâ aliâ re utrinqve depacta, arcendis à veſtibulo ædiū vehiculis & eqvis. Hoc ipſum Papinianus Velamen dixit, L. qvæſitum, de inſtr. vel inſtrum. leg.* Sicut, *inqvit*, prothyron domus, ſi velamen eſt inſtrumento domus continetur. *Alia prothyra ſunt illa, de qvibus Nov. CIV. & CII. qvod accuratè, ut juris pleraqve omnia explicavit amicus tuus Jac. Cujacius, Vir & laude noſtrâ & ſeculo major.* Ad Cujacium qvod eſt, innuit ille *cap. I. lib. XIV. obſervat.* ubi planè, qvantum eqvidem videre poſſum, cum Lipſio conſentit. Si aliter tibi videtur, ſubjice, qvæſo, & mone. Nam & mihi hactenus illorum ſententia ſe probavit. Sed pergamus bene mereri de Jure noſtro. In Codice de Grege dominico *eqvorum Hermogenianorū & palmatorum*

mentio fit. Qvi illi fuerint, jam olim diſqviſitum nobis, cùm nec Alciatus, nec alii ſatisfeciſſent explicationibus ſuis. Tandem placuit, videri *palmatos*, qvibus palmæ nota inuſta, ut patriam referret. Qvæ tamen provincia palmæ notâ referretur, nihil hactenus definitum nobis. Ego Achaicos ita dici puto. Nôſti regionem illam ludis ejusmodi apprimè deditam. Igitur pullos generoſiores boni ominis ergò hac nota inſignivit. Docuit me Gratius Cynegetico ſub finem, cujus ea de re verſus aſcribo.

- - - O qvantus in armis
Ille meis, cujus dociles pecuaria fœtus
Sufficient, qveis chaonias contendere contra
Auſit, vix meritâ qvas ſignat Achaia palmâ &c.

Vix enim hic pro *non* accipio, qvo ſignificatu apud Plautum, Ovidium, Lucanum, alios invenias. Aut certè dicendum, à victoriâ ſtatim, & cum coronâ unâ & notam illam accepiſſe. Fortaſſe & huc reſpexit Nemeſianus etiam in Cyneget. in depoſito illo ulcere v. 242.

Armata & palmas nuper grex omnis avorum.

Nam præceſſit:

Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis, (pago
Cappadocumqve notas referat generoſa pro-
Armata &c.

Scio qvomodo Barthius, *Lib. III. adverſ. cap. XV.* qvomodo item Euſtath. Swartius in *Analect. L. III. c. VII.* emendarunt, ingenioſè qvidem, vereor tamen ut verè. Qvanqvam ego nihil comminiſci melius poſſim. *Hermogenianos* ego item ſuſpicor ſigno caducei inſignitos boni ominis ergò, eos,

qvi

qvi de perniciſſimis nati, qvaſi ex Mercurio ipſo eſſent progeniti. Noſti enim Deum illum aliᵫm. Porrò omnem gregem Dominicum certo charactere notatum ex Hieronymo conjicio. Sic enim ille tralatè qvidem Epiſt. qvadam: *Et vos Chriſti oves eritis, characterem Dominicum in Sacramento portatis* &c. Vale.

CII.
Henrico Günthero Platnero S. P.

Exilii profectò gaudio, mi Platnere, qvum literæ tuæ ad me perlatæ. Jamdudum enim de te metui, ne qvid humanitus acciderit, qvod tamdiu ſileres, & ego ex nullo mortalium hactenus, licèt anxiè qvæſierim, certior fieri potui, ubi, & qvo ſtatu eſſes. Qvæ unica qvoqve cauſa eſt, cur ad te literas hactenus non dederim, imò dare non potuerim. Itaqve de amore meo te ominari meliùs velim. Nihil ille langvet, ſed vireſcit indies, ut veteri verbo dicam, & vires ſumit, præſertim cum tu jam nova alimenta & fomites ſuggeras. Propertianæ tuæ emendationes & muſteâ illâ ſua novitate & acumine perqvam mihi arriſerunt. Certi tamen qvid de iis jam definire, per tot negotia, qvæ ipſo horreo mihi hoc temporis, qvo Rectorem gero, admetiuntur, omnino non potui, & vix tuis literis legendis, hisqve meis ſcribendis otium impetrari licuit. De Juvenale tuo qvi cenſere aliter poſſim, qvam jam olim factum, emittendum eum eſſe in lucem, & juventutis vota Poëta optimo carere diutius non permittendum eſſe. Nec eſt, qvod de Schu-

rero ambigas. Ultro enim non ſemel de illo mecum egit, ſuamqve operam ſtudiumqve luculenter promiſit. Et vel ſtatim typis tradi poſſet, niſi qvædam à te perpolienda & in melius efficienda ipſe cenſuiſſes. Qvæ ego, ut ſum pollicitus, qvamprimùm potero, ſub ſigna cogam & ad te mittam. Et fortaſſe plura, qvàm opinaris hactenus. Edidit enim Francofurtenſibus nundinis variarum Lectionum opus JANUS RUTGERSIUS Batavus JCtus, amuſſitatæ eruditionis planè aureum opus: In illis præter alios autores ſæpiùs ad partes vocatur Juvenalis, ut aut medicina illi fieri, aut alluceri tamen poſſit. Scholiaſtes verò ipſius vetus, qvem Pythæus edidit, à capite ad calcem emendatur, illuſtratur, notatur. Qvæ omnia ſi nulli alii rei, certè eximio ornamento editioni tuæ eſſe poſſunt. Igitur & illa deſcribam bonâ fide, & tuo arbitrio transmittam. De libello, qvod tibi ſub prælo, ita felix ſim, ut ego libenter accepi, propter palmatos illos; qvamqvam vereor, ut palmas ferant. Sed experiantur publicum favorem. Qvem ſi obtinebunt, debebunt id omne tibi, qvi produxiſti. Unum tamen moneo, ut in meo nomine laudando blandis illis & invidis verbis, qvibus & iſtas literas inſcripſiſti, parcas, ne ſimia riſum moveat. Ego enim ille Philologus, ille Criticus, qvocum comparari nemo hodiè qveat? Certe niſi te nimio amore in me qvaſi extra te poſitum certò ſcirem, putare poſſem te invidiâ lividum, invidiam inde mihi concitatum iviſſe. Paulò aliqvid plus viderim in his literis, qvàm profanum illud vulgus: qvantum

tum tamen eſt ad illam HEINSII, BARTHII, GRUTERI eruditionem comparatum? Certe συιᾶς ὄυαρ. Epigramma primâ occaſione habebis: jam enim mittere profectò non potui; cauſas ſupra dixi. Et jam mihi adſunt neſcio qvi Capitones, & clamoribus ſuis non tantum aures obtundunt, ſed & ipſum cerebrum ſollicitant. Itaqve veniam dabis, qvod expectationi tuæ & voto minus in præſenti ſatisfacere poſſum. Vale, mi Platnere, & ſalve, &c, ſi merebor, amare me non deſiſte; qvi æternum hoc habebis pectus.

Ad Güntherum Heinricum Platnerum, *Juris Candidatum & Literatorem egregium.*

Dum Muſas Themidi conjugis & Aona roſtris
Conſulti affectans & titulum Critici,
In te viſa mihi virtus rediviva Parentis
Spirare & Fratris vis rediviva tui,
Platnere ò noſtri primaria portio cordis,
Platnere ô patriæ gloria prima tuæ!
Juſtitiæ ingenium prudens callebat uterqve
Scævola in antiqvis qvaliter aut Labeo.
Romuleum Græcumqve Sophos callebat uterqve
Et ſapiens qvicqvid continet Hiſtoria.
Arguto qvicqvid Critici exſculpſere labore,
Tam qvos priſca ætas qvàm nova noſtra tulit.
Atq; utinam fratrem ne tam cito fata tuliſſent,
Purpureos dum ageret Flora Juventa dies,
Commodè & exorſam ſubtili ſtamine telam
Turbâſſent, citius muſica fors opera
Mirari noſtrum doctis plaudentibus ævum,
Et poſſet priſcis æqviparare libris.

Sic Platnere tuus: Convitia temne Rabiri,
Et qvicqvid dicat Cottaforenſe pecus.
Venit ad æterni qvondam ſacra culmina honoris
Cujacia hâc virtus atqve Hotomanna viâ.

CIII.

Günthero Henrico Platnero

S. P.

MOleſtiſſima fuiſſet ſcriptio, mi Platnere, niſi ad te eſſet. Præterqvam enim, qvod ſingulis penè momentis qviritantium turba interpellat, graviſſima capitis deſtillatio, & ex hac contracta tuſſis me peſſimis affligit modis. Accedit tabellarii iniqvitas, qvi vix horæ ſpatium ſcribendi mihi concedebat. Ego verò Julius Cæſar non ſum, ut ſimul & celeriter agere multa poſſim. Sed ad tuas. Qvod Juvenalem iterum ad partes vocaveris, rectè facis, & è tuâ famâ, noſtrô bonô. De Lectionum libris placet, ſi adjiciantur. Sic Auſonianas ſuas Scaliger, Statianas Gevartius edidit, & in tot libros diviſit, in qvot Poëta. Poſſis imitari. Textui verò velim apponi qvasdam notas, in qvibus breviter vel ſenſus, vel lectio vera indicetur, ne lector impediatur, qvæ poſtea in lectionum adjectis libris uberius explices & confirmes. Qvæ in Douza & Cruceo ad Juvenalem ſubnotavi, & hic mitto. Vellem & Rutgerſiana poſſem (qvæ benè multa ſunt) ſed ita me Deus, exſcribere hactenus non potui. Mittam autem primâ occaſione, modò ut præbeas. De opinionibus tuis agam cum Schutero, & ſpes de eo mihi optima. Igitur editionem paulisper ſuſpende, dum certi aliqvid ad te perſcribam. Habeo & qvid-

& qviddam monere adhuc de eqvis palmatis, qvod etiam eò differo. Diſputationes hic mitto, qvot qvidem in ſumma feſtinatione eruere potui. Vale.

CIV.
Chriſtiano Klengelio
S. P.

COgnate Clariſſ. Grammondi Hiſtoria cum literis tuis mihi à tabellario reddita eſt. Pro navatâ operâ ago gratias, relaturus ubi licebit. Nunc peto, ut mittas ſchedam, qvâ profitearis, de IX. Imperialibus tibi ſatisfactum à me N. N. nomine. Id enim rogat Pater, ut certus ſit de omni ære alieno filii jam tandem expuncto. Et tibi grave non erit id ſchedii ad me permittere. Nihil amplius habeo, qvod ſcribam. Nam qvod ingreſſus iter virtutis & optimorum ſtudiorum es, ultro calcabis, nec monitore opus erit. Qvibus partibus ſic fungor tamen, dum plurimùm te amo. Vale. Raptiſſ. Proprid. Kal. Jun. Ao. 1649.

CV.
Eidem.

QVod ſerius paulò ad tuas reſpondeo, ideò fit, qvod tardiùs, ad qvem miſiſti, & qvinto demum die, cum curſor noſter jam abiiſſet Lipſiam, exhibendas eas mihi curavit. Qvi cum deinceps me certiorem redderet, poſt paucos dies diſceſſurum te Lipſia, mittendarum eò periculum nolui facere: & iſtas direxi Dreſdam, ut meo officio facerem ſatis. Libenter audivi de cætero, Ampliſſ. Patrem eundi Argentoratum, & ibi per-

poliendi ſtudia feciſſe tibi copiam. Qvod ut tibi ſtudiisqve tuis benè vertere Deus velit, devotè ipſum veneror, ac precor. De Commendatitiis qvod ſcribis; qvamqvam nulla admodum mihi cum Ampliſſimo Thabore notitia eſt, exarabo ad eum tamen literas tuâ cauſâ; atq; is, niſi fallor, eſt, in cujus parandâ benevolentia atq; favore maximum operæ pretium feceris. Qvare, ſi placet hac meâ operâ uti, mone qvæſo qvamprimum de abitu tuo atq; acceſſu eam in Academiam: Qvod ubi feceris, mora nulla erit in me, qvin illud tibi conficiam. Vale & me perge amare: meumqve negotium commenda Parenti Ampliſſimo, de qvo ex ipſo intelliges. Vale iterùm & ſalve à tui amantiſſimo, &c. Rapt. ad d. 2. Ap. 1650.

CVI.
Eidem.

Cum noſter Gersdorffius ad vos proficiſceretur, nolui committere, ut vacuus noſtris literis ad te veniret. Qvamvis enim magnoperè non erat, de qvo perſcriberem ad te, amor tamen & illud arctius ſangvinis vinculum effecerunt, ut paucis verſibus, qvàm ſalvæ & benè compoſitæ res tuæ eſſent, perqvirerem: præcipuè cum diu de illis neq; ex literis tuis nec aliorum relationibus qvicqvam potuerim diſcere. Qvare gratiſſimam mihi rem feceris, ſi de ſtatu tuo, & numne Argentoratô tranſiturus in Galliam, an rediturus ſis ad tuos? me doceas. Mihi autem ſingulari voluptati & gaudio erit, ſi læta & ſecunda omnia cognoſcam de te: majori tamen, ſi te non modo juſti ac æqvi ſcientiâ, ſed

omni

omni liberalis atqve præclaræ doctrinæ genere auctum egregiè ornatumqve qvamprimum amplectar. De rebus noſtris ex Gersdorffio noſtro cognoſces. Vale & ſtrenuè age rem. Deus te ſervet! Lipſiæ in nundinarum ſtrepitu ad d. 7. Non. Maji Anno 1651.

CVII.

Eidem.

Mi Clariſſime Chriſtiane!

QVod noviſſimis tuis nondum reſpondi, partim negotiis factum eſt, partim qvod commoda occaſio mittendi deeſſet. Hanc per Nobiliſſ. Dn. GERSDORF: nactus, ſilere amplius nolui. Tantum ne officio meo deeſſem. Nam plura ſcribere nunc non licet. Et tu, qvam debeo pietatem tibi, non ex verborum prolixitate, ſed affectus copia æſtimabis. Scribebas nuper moliri te iter in Galliam. Recte id facis. Et tu in eo non tantùm ſeculo obſeqvi, ſed tuis ſtudiis etiam conſulere poteris: neqve ad aulam ibi tantùm, ſed & virtutem atqve doctrinam proficere. Nondum enim deſiit Gallia & magnos & doctos viros habere. Qvæſo te, mi Clariſſime Klengeli, ut, qvando diſceſſurus Argentorato, ſignifices. Vellem enim literas una dare ad Eruditiſſ. Dn. Naudæum; qvi me ſuperiore anno aliqvot libris ab ſe editis humaniſſimè ultrò donavit. Cujus conſvetudo tibi fortaſſean aliqvid utilitatis afferre poſſet. Reliqva ex Nobiliſſ. Dn. GERSDORFFIO cognoſces; qvem tibi itineris comitem ominor fore. Si maturius vobis proficiſcen-

diſcendum, qvam veſtræ ad me, & meæ ad vos commeare literæ poterunt, tu apud Naudæum eas partes ipſe ages meo nomine, qvas alias mandaturus literis eram. Hoc eſt, laudabis affectum ejus & honorificum judicium de me, & liberaliſſimè ages gratias pro eruditiſſimis opuſculis ejus, qvæ communicare voluit mecum ſingulari humanitate. Meqve pro eo perpetuò ipſi obſtrictum fore & obligatum. Vale & exoptatiſſimo reditu nos & tuos omnes exhilara, & præſta patriæ familiæq; communi ejusmodi decus, qvod de te mihi ſemper promiſi. Promiſi autem ingens & ſingulare. Vale iterum. Deus te ſervet! Rapt. ad d. 19. Nov. An. 1651.

CVIII.

Eidem

S. & O.

QVid verò faciam inter diverſos & planè contrarios affectus poſitus, dum inde gaudium, hinc luctus dolorqve ſollicitat, & animum huc ac illuc agit, ut diſcordantes venti mare volvere ſolent? nihil mihi exoptatius qvidem literis tuis venit: nec dici poteſt, qvam exilierim tripudiarimqve viſa tam charâ amataqve manu. Sed qvantum tibi mihiqve gratulatus fui de felici reditu tuo, tantum mœroris triſtitiæqve mox hauſi, cùm diſcerem, amantiſſimi N. N. ſponſam inopinato fato ereptam eſſe. Dii boni, qvàm rarum exemplum virginis, tam venuſtæ ac pulchræ, qvàm pudicæ & omni virtutum decore mirificè exornatæ! Saxeus itaqve ſim, ni acerbiſſimo fato N. N. illacrymer, deploremqve abundè vi-

dè vices has illætabiles, qvæ dulciſſimorum gaudiorum ſpem non modò in ventum & cineres, qvod dicitur, ſed verò in acerbiſſimum dolorem & luctum ſubitò vertunt. Sed patiuntur mortales mortalia, & verſant totam vitam noſtram perpetuo dolor & gaudium. Qvorum ſi qvædam mixtura ſit, benè nobiſcum agitur. Optimò vero, cum læta & proſpera eminent. Qvod ut proprium vobis atqve perpetuum ſit, ex animō voveoqve ac precor. Cæterum, mi amatiſſime Cognate, lætor qvibus poſſum modis, & gratulor tibi, qvod parentes optimos, qvod ſororem, qvod fratres, cæteros tuos redux ex longo itinere ſalvos incolumesqve ipſe & talis complexus es: vellemqve hoc gaudium meum in tuum ipſius ſinum effundere, tibique teſtari coram affectum, qvem debeo nimiopere, niſi tanta ſpatia nos dividerent. Qvod ſi per hoc æſtivum tempus excurrere huc cum fratre optimo placere poſſet, næ mihi id multò gratiſſimum foret, auditurо ex vobis, ecqvas præclaras res ſcientiasqve viſæ Italia Galliaqve vobis induiſſent. Nec dubitem multas magnasqve & voluptates & utilitates inde me percepturum fore. Itaqve præſta mihi, mi CHRISTIANE, hoc deſiderium, & effice, ut tui itineris fructu aliqvo ne caream. Qvem multo plurimum poſt paulo in Patriam feliciter ut conferas, & ab eadem digna feras laboris ſtudiiqve tui præmia, ſerio opto ac precor. V. Rapt. ad d. 18. Jun. 1653.

CIX.

CIX.

Eidem.

Miræ voluptati mihi fuerunt literæ tuæ: tum qvia veniebant à te, tum qvia lætiſſimum nuncium afferebant; & ſponſum te eſſe, & illam ducturum te brevi, qvæ magnum clarumqve in domum tuam nomen cum pari virtute allatura eſſet. Eoqve me magis affecit hæc res, qvod, pacto hoc matrimonii fœdere, novis vinculis & egomet tibi, & Heigia mihi obſtringeretur, dum jus cognationis veteris nova affinitate geminatur. Maternum enim utriusqve genus, ſi neſcis, ex duabus ſororibus germanis deſcendit: qvamqve proaviam tua habuit, hæc aviæ meæ extitit ſoror, & ſocerum tuum conſobrinum mihi dedit. Lætor itaq; & gratulor utriqve noſtrum hoc matrimonium, idq; ut fortunatiſſimum omni ex parte & feliciſſimum ſit, à DEO immortali & in præſenti nunc precor, & ſemper precabor imposterum. Qvibus qvidem partibus non per abſentiam ſcripturâ ac literis fungerer, ſed vero coram & ore contuens os, qvod optabam ſummopere, ſi ingraveſcens ætas, & valetudo afflicta & hora anni permitteret. Non dies mihi ullus propemodum abit, qvin latera aut lumbi aut coxæ doleant. Sive à calculo ſit, ſeu ab Iſchiade, vel utroqve fortaſſean, qvod cruciat ita atqve exercet. Neqve dum dixi de pedibus, qvos ipſos & ſuus labor ſuis vicibus infeſtat. Et noſti præſens anni tempus, cum dominatur pituita maximè, horum generum morbis inimiciſſimum & decretorium qvodammodò eſſe. Qvod metuendum

dum mihi tantò eſt magis, qvod ad has valetudines ſenectus etiam accedit: qvæ ſicut nunqvam non patet morbis, ita eosdem ægerrime vincit. Conſului tamen & Medicos: iidem, ſi ſalvum me vellem, profectioni omni nunc interdixerunt. Dabis itaqve nobis, CHRISTIANE, benignè veniam, qvod cogor abeſſe: non enim lubens volensqve, ſed invitiſſimus abſum. Corpore dico, non animo. Hic enim nunqvam non erit vobiſcum: nunqvam non proſeqvetur vos affectu omni & votis, qvæ pro felicitate ac incolumitate veſtra excogitari unqvam & concipi poſſunt. Hoc tibi omninò perſvaſum habe, hoc tuæ confirma: & interim benè conſulite hoc deauratum poculum, tum epithalamium vobis dicatum. Ita nunqvam non vobis & eant tempora aurea, & carmina ſonent, qvæ ſuccedentia gaudiis gaudia lætiſſimosqve proventus nobis congratulentur. Vale Wittenbergæ ad d. XV. Febr. Ao. 1655.

CX.

N. N.

PRofectò male me habet, qvod, dum Rectorem gero, tam literas, ut ſolitus, tractare neqveo, qvàm amicorum officiis ſatis reſpondere. Vix enim advocationem mihi à negotiis meis impetrare potui, ut ad tuas reſcribere, licèt aliqvantò tardius, poſſim. Qva de cauſa te vehementer rogo, ut hoc non negligentiæ alicui, ſed occupationibus meis tribuas. De rebus Bohemicis nihil adeò novi. Comes de Turn Budeweiß, ut vocant, obſidione cinxit, fruſtra hac-

tenus;

tenus; ſed Croma & Pilſen deditione ſe dedit. Imperator caduceatorem miſit ad Ordines, juſſitqve, ut arma deponant, niſi faciant, neſcio qvæ ipſis interminatus eſt. Illi verò curare nihili & ſtrenuè pergere. Nam & ſelectiſſimo valent exercitu, & firmiſſima auxilia exſpectant. Certè, ut de aliis nihil dicam, Elector mille eqvites auxiliares ipſis propediem miſſurum ſeſe recepit. Hiſce diebus Juvenis eruditiſſimus Palatinus ex Italiâ & Hiſpania reverſus compellandi gratia, qvi de Veneto illo facinore, qvod Rex Hiſpaniarum molitus, retulit. Idem etiam mihi affirmavit, omnes Italiæ Principes claudicare, (ita loqvebatur &) male in Pontificem affectionatos eſſe, præcipuè verò Urbini Ducem, heroëm ſapientiſſimum, & ut ipſe literatiſſimus, literarum vindicem unicum & Patronum, qvi aperta ſoveat diſſidia in Eccleſiam Romanam. Qvæ ſi ita ſeſe habent, ut ille mihi ſanctè affirmavit, qvis non videat rem Romanenſium periclitari admodum, &, ut ille ait, ſtare præcipiti in loco. Deus porrò adſit Eccleſiæ ſuæ, ut videat deploretqve Babylon, ipſi nos curæ & cordi eſſe. De Ratichiano negotio qvæſo perſcribe. Audio enim te cum illo Köteni egiſſe. Magna profectò molitur ille, an emolietur? vix puto niſi eruditiſſimorum hominum & in unaqvaqve diſciplinâ perfectiſſimorum operâ utatur. Qvorum ſanè ut hoc ſeculo non ita dapſilis proventus eſt, ita maximæ impenſæ faciendæ erunt, ut undiqve illi conqvirantur. Sed de hoc fortaſſe alio tempore agemus. Certè enim indies tuum exſpecto adventum, &

qvi-

qvidem anxiè certò. C.Bavarus ad me nuperè fuit, mecumqve arctiſſimam amicitiam, qvod fauſtum ſit, iniit. Ad te qvoqve meditabatur, niſi nuptiarum ſolennitas, cui hic intererat, & neceſſariorum officia nimiò hic detinuiſſent. Salutem tamen tibi ſcribere juſſit. Vale.

CXI.

Heinrico Meibomio

S. P.

Ecce tibi, Clariſſime & eruditâ canitie venerande Meibomi, tuum tibi Davidem chariſſimum remittimus, & qvidem Magiſterii honoribus mactum & decoratum. Nos tum tua in Remp. literariam merita, tum eruditionem ejus rectè æſtimâſſe, deprehendes, qvum noveris inter triginta & octo candidatos ſextum ei locum aſſignatum fuiſſe. Cæterum ſi non faſtidis me inter cultores, imo amicos tuos, omnes Curules trabeasqve tranſcendo. De me perſvadeas, nullum bellum tam triſte eſſe, qvod non in ſpem gratiæ tuæ ſim pugnaturus. Collegam tuum Hornejum officioſè ac peramanter ſalvere jubeo, & meas exſpectare literas. In præſentiarum enim ad eum ſcribere omninò non vacabat. Laudavit mihi nuper per literas Clariſſimus & optimus noſter Gruterus eruditionem ejus, & ſignificavit, ſe miſſurum ad me carmen novæ Plautinæ editioni præfigendum. Sed nihil accepi hactenus. Et jam illud mittere nimis ſerum eſſet. Ejus verò videre literas nunqvam non mihi jucundum. Qvem meum affectum qvæſo illi inſinua. Confido enim tibi amicum eſſe Vale.

CXII.

Henrico Herzvvigio
S. P.

AMicos incolumes cogitare, melle atque placentâ frui eſt, ait alicubi Seneca: Ego verò ipſa ambroſiâ fruitus, cum te non tam corpore qvàm animo valere accepi. Ad illud, qvod in aurem tu mihi: Vide qvo tu punctum ante ô, verè modo; neqve detrahitur ſenſui qvidqvam, ſi eo ordine ponas. Si qvis in verba curatius intendat, & illud, *liberaveris*, non vulgari illo ſignificatu, ſed remotiori, latiſſimo tamen explicet. Sed tu videbis: qvicqvid enim ſit, ego ita non ſcripſerim, ut candidè dicam. *Expiator ignis*, Tragicum tibi: ſed tamen geminum eſt illud Plauti & planè germanum in Trinummo.

Magiſter mihi exercitor animus hinc eſt, &c. De actione, juvabo ego eam pro portione virili, & operam ſuam ſtudiumqve Meiſnero & mihi pollicitus eſt M. Frereiſen Strasburgenſis ad hunc palum jamdudum exercitatus, ut nihil metuam de ſucceſſu, niſi qvid morbus iſte interturbet. Febris integrat rabiem, & ab autumno iſto reſumit vires, & noſtrum hoc Muſarum templum iterum inceſtat. Sed DI meliora, & iſta potius hoſtibus eveniant. Si qvid literarum poſthac tibi ad Gruterum miſero, qvæſo cura: nam Heidelberga in viciniâ vobis, & commeatus illhinc expediti. Faxim, ut neq; ſimili neq; alio officio tibi unqvam deſim. De Goldaſto an apud vos agat, & qvid agat qvæſo mone, & ſi Ariſtæneti Epiſtolas Græcas cum verſione Mercori nanciſci his poſſis nundinis

dinis, beaveris ſanè. Imò qvæcunqve verſio adjuncta ſit. Noſtris enim hominibus non magis notus ille liber, qvàm ſolis pectines, & turres Lamiæ, ut eſt apud Tertull. Qvicqvid ſumſeris, bona fide rependam. Collegas tuos, & præcipuè Erhardum (modò ille EST,) de Petronio ſuo mihi notum, amiciſſime ſalutabis & reliqvias Comœdiæ qvamprimum mittes. Ita Vale, mi anime Herzvvigi. ὡς τάχιςα.

CXIII.

D. Jacobo Jano,

Avunculo ſuo,

S. P.

DE fato aviæ meæ fœminæ Clariſſimæ, ita vivam, ne triſtiſſimus accepi, avuncule clariſſime: neqve adhuc lugere deſtiti. Etſi enim non acerba illius mors, namqve jam annis obſeſſa erat; tamen ingrata, qvia nemo qvidqvam de ſuo amittit libenter. Sed recordemur illud Græculi veteris, qvem famæ benignitas inter ſeptem ſapientes retulit, μέτρον ἄριςον, & lugeamus qvidem, ſed cum modô, lacrymandum nempè, non plorandum eſt. Dum ex ſtata illa ætate in ſenectutē tranſcenderet, nemo noſtrûm cordolio affectus eſt: qvid jam luctui indulgeamus nimis, cum de ſenectute in mortem? Eqvidem ut virile robur vitium illud ſenii excipit, ſic ſenium mors ſeqvitur. Sed puto virum te & hic geres. Nam qvomodo nuper in fortunam fortiter pugnaſti, reminiſcor, non repeto: nolo enim eſſe moleſtus. Sed heus! nocte ſuperiore à mediâ deceſſit Tandlerus noſter, ad diem Mercurii hu-

mabitur: cujus oſſa benè qvieſcant. Qvid tu? prende, qvod præſto eſt, imò qvod pænè in manibus habes, nec elabi ſine tam bellam occaſionem.

Fronte capillata eſt, poſtica occaſio calva,

rectè monet Poëta. Velim autem, ut facultatem Medicam primò, deinde & totam Academiam adeas, neminem verò privatim tentes. Si verò id conjunctim & una fiat, nihil diſſvaſerim. Interim etiam atqve etiam vide, ut illos de aulâ tuos facias: qvi ſi erunt, res facta eſt. Si qvid ad Academiam mihi tranſmittes, & ego vel Sennerto, vel ipſi Rectori, prout videbitur. Vale, mi Avuncule, & qvid e re tua futurum putes, diligenter diſpice. Vale iterum. Fratrem Burchardum, item Auguſtum cæteroſqve omnes à me ſalutabis, etiam tuam, ſed non ſine oſculo vinnulo, mellito, & qvale Catullus meus probet, qvod ſit

--- *dulci dulcius ambroſiâ.*

Vale iterum & huic lætiori pennæ ignoſce; nam velis nolis edulcare vitam convenit, curæqve acerbæ jucundis regendæ ſenſibus, ut alius mihi inclamat Poëta, ὡς τάχιϛα.

CXIV.

Matthæo Reimanno.

S. P.

PEne pudet, Reverende Domine, tam diſtuliſſe reſponſum: ſed accidit ſerò, ut cum occaſio eſſet ad te permittendi literas, ego negotiis aliis & occupationibus qvam maximè diſtringerer. Qvocirca ignoſces mihi pro humanitate

tuâ,

tuâ & veniam dabis, qvia ſponte reus non ſum. De Epigrammatis tuis, prorſus probo conatum tuum: qvo & bene merebere de publico, & famam nominis amplificabis. In fine harum leges verſus, qvos editioni apponere qveas. Non qvod digni adeò publicâ luce; ſed qvia petiiſti. Minimè verò oportuit precibus & voluntati tuæ deeſſe. Qvi librum imprimendum curet, & ſuis ſumtibus in publicum promoveat, hic inveniri non poteſt. Nam qvia nunc omnia vi armatâ geruntur, jacent omninò commercia literarum. Qvapropter vel Francofurti vel alibi qværendus eſt, qvi curam iſtam in ſe ſuſcipiat. M. Schmidius multa ſalute te impertit: qvi de carmine, qvod rogabas, memor erit, ubi monitus fuerit librum tuum jam jam prælo committendum. Natus is optimus & eruditiſſimus vir, mihiqve conjunctiſſimus d. XIIX. Aprilis, Anno cIↄ Iↄ LXX. Lucas Beckmannus d. 16. Decembr. Anno eodem. Obiit XI. Febr. Anno cIↄ Iↄc XXIV. Valentinus Gvilielmus Forſterus natus Marpurgi d. XXV. Auguſti Anno cIↄ Iↄ LXXIV. obiit. Wittenbergæ die XXX. Septembr. Ann. cIↄ Iↄc XX. Si qvid impoſterum velis, perſcribes. Dabo operam, ne ulla in re tibi deſim. Ita perſvade tibi, Optime & Rever. Dom. Reimanne, meqve ama. Vale.

Dum poſitis reddis lucem, noctemq́ malignam
Ire jubes, Reimanne, *procul, ſecliśq futuris*
Aſſeris, & diro prohibes ſuccumbere fato
Egregios qvos noſtra viros modo ſecula laudant;

Ipſe tuum nomen numeris & carmine terſo
Æterno mandas ævo famaqve perenni.

CXV.

Michaëli Meiſnero.

S. P.

Oculiſſime *mi Meiſnere*! Conſecrabo fortuna hujusce diei, ut veteres dicebant, qvo à te ego Tibullum. Inſperatò obtigit, igitur bis gratus. Nam de Catullo didiciſti,

Si qvid qvam cupidoq́; optantiq́; obtigit unqvā
Inſperanti, hoc eſt gratum animo propriè.

Multum tibi debeo, mi Meiſnere, de invento hoc theſauro, multum illi, qvem penes fuit. Benè tibi, benè illi ſit, qvicunqve ſit, & ſalveat ob hoc mihi ter imò qvater. Sed qvis ille? video non deſultoria lectione triviſſe hos Poëtas, qvæ verò annotavit, evincunt ſanè, non libâſſe leviter de humanitatis poculo, ſed totis faucibus bibiſſe. Ego verò deſcribi curabo hunc librum; qvem qvamprimum erit, non ſine gratiis remittam. Peto tamen aliqvot ſeptimanarum commeatum. De fratribus roſeæ crucis, benè mones; videbo libellum. At audiiſti de fungis illis Magdeburgenſibus; nempe fungis, qvia repentinò orti ſunt, repentinò, ita ominor, occident? Sed qvid illi? Dicunt nihil eſſe totum Philoſophiæ nomen, neq; ad res divinas qvidqvam, neq; humanas facere. Hominum argutationes eſſe, & ſvavia deliria. Igitur omnia potius ex ſacris literis, & neſcio à qvo DEI Spiritu, qvi omnia edoceat, exſpectanda eſſe: Omnes, qvasçunqve de rationibus habemus literas, illi abjiciunt; imò ipſos Patres, qvia plura

plura de ſeculi Sapientibus admiſcuere. Qvid tibi ſuper his animi? Ego certè rideo, & miſereor tamen. De tuis curis iterum aurem vello, ut etiam ſecundum qvos litem des, qvam nuper in tribunali tuo ſumus conteſtati. Vale, mi Meisnere, Ocelle meus & Muſarum. Vale iterum, & illum Saxonem multa ſalute à me imperti. Vale.

CXVI.
Caſpari Conrado
S. P.

QVod pueri olim ſolent, ut ſi cujusqvam commiſſi ſibi conſcii in parentum prodire adſpectum vereantur, & timeant, prodeant tamen: ita & ego, cum nimis diu ſilui ad amiciſſimas literas, non niſi cum verecundia qvadam calamum moveo atqve reſpondeo. Qvod qvidem jam olim feciſſem, niſi domeſtica qvædam mea negotia, & ob ea ſuſceptæ profectiunculæ id impediſſent. Qvicqvid erit, condonabis id homini tibi deditiſſimo, & qvi pro te non dubitet duriſſima ſubire. Ita credas, mi Conrade, ita perſvadeas tibi. Nec motabo certè hunc affectum, niſi cum, ut cum Tibullo qvid dicam,

- - - *tenuem fuero mutatus in umbram*
Candidaqve oſſa ſuper nigra favilla teget.

De Franzii carmine, vix aliqvid ſperandum tibi, licèt ſæpius ſollicitaverim. Nihil autem ut anteà eum juvat ſcribere verſiculos: & jam olim dixit:

Barbiton hic paries habeto.

De me, parui, & ecce tibi qvicqvid hoc libelli eſt, impoliti ſcilicet, & in ſpeciem Priapi illius

Horatiani properanti falce dolati. Qvod vereor ne ſinguli verſus probent. In meis culpis igitur tu veniam tibi dabis, qvi voluiſti. Henſchedelius neſcio ubi ubi ſit: & jam tum, cum tuas acciperem, abierat. Scilicet non ei animo domicilium apud nos, ſed breve erroris ſui hoſpitium qværere. M. Jacobus Fuhrmannus adhuc eſt, & vivit: Si modo vivit, qvi Epilepſiâ ita attonitus, ut nec lingva, nec pedes, nec manus officium ſuum faciant. Certè ille talis, nihilqve eſt, qvod in eo vigeat, præter mentem. Sed heus, mi Conrade, ecqvid notitiæ tibi cum Simone Simonide, Polono? Laudat ejus eruditionem alibi Lipſius: & credo facilè, qvum Poëmata ejus illa nuper Lugduni edita ex bibliothecâ Joachimi Morſii vel leviter evolvo. Pauca illa qvidem, & nimis, ſed immane qvantum bona & docta. Nihil affectatum inibi, pura omnia & naturaliter pulchra. Qvæſo te, ſi apud te qvicqvam hujus maſſæ (rerum ejusmodi diligentiſſimum conqviſitorem) ne invideas. Certè grandi me beneficio obſtringes. Vale.

CXVII.

Caſpari Conrado

S. P.

Iſta qvidem vis tibi eſt, Clariſſime mi CONRADE, ita me literæ tuæ non affecere gaudio, ſed oppreſſere ferè. Non enim de clariſſimi Bucretii amore nunciarunt modò, ſed & Preibiſium mihi conciliârunt. Noluit enim tuas ad me mittere, niſi comites ſuas adderet, ô me in tanta felicitate meâ hoc uno infelicem, qvod paria facere,

cere non poſſum! Schedas meas per negotia mea,qvæ,dum Rectorem gero,ſuſtinere oportet, excutere hactenus omnino non fuit; itaqve nec carmen illud tuum *Domini eſt ſalus*, de qvo nuperrime tibi ſpem feci, mittere potui. Mittam tamen certò. Utinam verò ego dignum nomen legar inter proceres Achivorum. De Schulteto, nihil mihi debes, Et utinam ego tibi ſolvendo eſſe poſſim. Gratianus olim ad Auſonium ſolvere ſe dixit, qvod debebat, & adhuc debere, qvod ſolverit. Ego illud de te majore jure poſſim. Sed mittamus iſta. Bucretium, aureum illud nomen, jam olim mihi, ſed etiam tuo beneficio & Carminibus Acidalii nunqvam ſine laude loqvendi, mihi notum, officioſiſſimè, & qvantum potes,amanter à me ſaluta. Scripſiſſem certo(& doleo non factum)niſi qvæ dixi negotia, & ſpatiorum iniqvitas, id præcidiſſent. Itaqve excuſabis, & interim de meo in ipſum affectu cultuqve certiorem facies. Mitto hic carmen meum. Niſi indignum ipſius oculis, exemplum Bucretio trades. M. Genshædelius his diebus ad me fuit, qvi multa de Viri illius humanitate deprædicavit, & ſpero eum vobis brevi adfuturum. Vale, Clariſſime mi Conrade, & habe Buchnerum tibi nexu mancipioqve Tuum, qvi profecto in iſto pectore delicatus mihi es erisqve ſemper. Vale iterum.

CXVIII.
Eidem.

Lætentur alii, ſeqve felices beatosqve deputent, cum gemmam invenerint, ego potius qvando amicum. Hinc in facili tibi erit conjicere, mi Clariſſime Conrade, qvo animo tuam acceperim epiſtolam. Non enim nudos literarum apices, ſed te ipſum, qvantus qvantus es, propinabat. Vulgi eſt præſentes amare, & qvos videamus; nos diſſiti amemus, & interiore facie noti.

Qvod igitur benè ſit, coëant in fœdera dextra,
Noſtraqve perpetuus pectore jungat amor.
Euryalum Hirtacidenqve attollant ſecla priora;
Nos fidei exemplum tempora noſtra ferant.

Cæterùm, mi Conrade, diu jam eſt, cum ad te dedi literas, & unà qvoqve carmen miſi, niſi fallor Ithyphallicum ſive Angelicum, ut Diomedes vocat, in illud tuum *Domini eſt ſalus.* Idqve Seuſſii mei monitu. Nihil verò de illis accepiſſe tuæ iſtæ literæ arguunt, qvæ & carmen poſtulant & meo me nomine non alloqvuntur. Nam Bencuminum Bomerum de Auguſto Buchnero faciunt. Sed benè eſt: mitterem autem tibi jam illud carmen, ſi excutere ſchedas mihi fuiſſet; excutiam verò, & qvamprimum occaſio erit, mittam. Sed de Poëtæ Laur. Cæſ. titulo, qvæſo impoſterum omitte. Nondum enim mihi inter eos cenſeri licuit.

qve-

- - - *qvorum imagines lambunt*
Hederæ ſeqvaces,

Nec laboro certè. Nam & coronas ad imperitos deferre gratia ſolet, ut eſt apud Petronium. Sim ut ſum, modò non alienus à Muſis. Pro imagine tua gratias tibi maximas. Sanè nihil gratius potuiſſes. Levius enim deſiderium eſt, cum ſua oculis ſolatia. Dedicabo illam in Muſæo inter cæteras, qvas colo, magnorum virorum. Muſici aliqvid & de ſtudiis meis ſcribere jam nihil poſſum; nam & publicis occupatus ſum negotiis, & Juvenis ille tuarum perlator nimiò properavit. Utinam verò fuiſſet, qvi ipſi benefacere potuiſſem! Didiciſſes ſanè, qvantum te amem, & qvo loco tuam commendationem habuiſſem. Mitto hic qvædam eorum Carminum, qvæ Academiæ nomine vulgata, item alia, qvæ animi gratiâ luſi. Lege illa, cenſe, & ſi qvæ ſecus dicta (& multa erunt, nam magnam partem inelaborata & præcipiti qvodam colore effuſa) audacter confode.

Palmas non culpas eſſe putabo meas.

Bucretium, ſi ſuperat, ut voveo, magnum illum Acidalii amicum, officioſè ſaluto. In cujus amicitiam ſi te parario admittar, erit de qvo mihi gratulari habeam. Vale, mi Clariſſime Conrade, & me perpetuò habe nexu mancipioqve tuum.

CXIX.

Martino Opitio

S. P.

Noſti, mi Frater, tum, qvum nuper unà eſſemus, ſermones inter nos de Varrone ejusqve libris

libris conſertos fuiſſe,& re qvidem plura ſuper iis qvæ de re ruſticâ ſcripſit ille homo ſuæ ætatis doctiſſimus,in medium protuliſſe.Inter alia & illud, laudabilem operam in ſanandis ejus vulneribus, qvæ vel incuriâ temporum,vel ex ſcriptorum inſcitiâ accepit,magnos illos Viros Victorium,Turnebũ ei navâſſe: neminem verò de eo meliùs magisq; meritum, qvàm Joſephum Scaligerum, incomparabilis Patris incomparabilem filiũ. Qvanqvam non toti perſæpè ſint,& adhuc plura ſupeſrent,qvæ in mendo cubent & medicinâ indigeant.Eorumq; nonnulla à te tentata eſſe; qvæ tamen communicare mecum, illa temporis ratio non permittebat.Qvia vero non neſcis,qvo in loco mihi Varro ſit: eapropter te maximopere rogo,ut qvicqvid habes,qvô melius ei fieri poſſe arbitrere, depromasqve mihiq; impertias. Certè magnam apud me inibis gratiam. Qvippe qvi non tantùm ſummâ voluptate me efficies, ſed & penitus beabis. De dicendi illo genere, cum mutatur genus, fitq; relatio non ad nomen in oratione poſitum,ſed ad aliud ejusdem ſignificationis, at generis diverſi,ut *flumen,fluvius.fimus,ſtercus, alvus, alveare &c.* Varronem præ cæteris dicebam uſum aliqvoties; ecce tibi exempla l. *1*. c. 12. *Sin cogâre ſecundum flumen ædificare, curandum, ne adverſum eum ponas.* adverſum eum ſcil. fluvium. & c. *15*. *ſecundum villam duo habere oportet ſterqvilinia, aut unum bifariam diviſum. Alteram enim partem ferri oportet è villâ novum fimum, ex alterâ veterem tolli in agrum: qvod*

enim

enim, qvàm recens, qvod (ſc. ſtercus) *confricuis melius.* Ita enim hic locus longè emendatior & auctior, qvam in Scaligeri & vulgaribus libris, nec non in Auſonii Popmæ codice legitur. Et l.3. c. 16. *Nec ſi ex alvo in alvum in eodem loco trajicias, negligenter ſaciendum; ſed ſi tranſituræ ſunt apes, ea* (alvearia) *apiaſtro perfricandum.* Ita etiam & hic locus legendus potius, ut & in Codice Popmiano legitur, qvam ut in vulgatis & Scaligeri eſt. *perfricanda.* Atqve hæc hactenus in iſtâ dicendi formâ notavi. Plura qvin invenias, non dubito, ſi inqviras. Sed qvid impedit meam conjecturam tibi proponere, ut tuam eliciam ſuper qvodam Varroniano loco? lib. 3. c. ult. Ubi de piſcinis agit, & in Scaligeri & Popmæ edit. l. *Etenim hac incuriâ laborare ajebat M. Lucullum, & piſcinas ejus deſpiciebat, qvod æſtivaria non haberet, ac in reſidem aqvam, & locis peſtilentibus habitarent piſces ejus.* Ita, inqvam, legitur, me qvidem judice, male. Nam illa verba, *in reſidem aqvam & locis peſtilentibus habitarent*, non ſatis conſtructè poſita ſunt. Vel enim debebat dicere, *in reſide aqva, & locis peſtilentibus habit.* vel *in reſidem aqvam & locos peſtilentes habitarent.* Noſti enim veteres aliter qvàm Grammaticorum canones præſcribunt, præpoſitione uſos. Ita Plautus, *ubi in luſtra jacuiſti.* Et ſunt talia ſexcenta, etiam apud Ciceronem tuum, qvod te minime latet. Itane igitur emendandus & alterutro modo l. eſt? Non puto. Audaculum enim id foret. In Comelianâ Editione ita hic locus conceptus diſtinctusqve eſt: *qvod*

æſtivaria

æſtivaria non haberet, ac aqvam in reſidem, & locis p. h. p. ejus. Si illud *in reſidem*, conjunctim *in reſidem* legas, omnia optimè habebunt, *qvod non haberet aqvam in reſidem ſeu non reſidem*. Cl. 2. c. 21. *Itaqve in bubulo genere nec minoris emitis anniculâ nec ſupra decem annorum.* Aliter alii. Eodem capite paulò ante: *& qvod æs antiqviſſimum, qvod eſt flatum, pecore eſt notatum l. qvòd eſt flatum* (*pro* conflatum, ſimplex pro compoſito, qvod ſæpè apud Latinos occurrit auctores) *pecore notatum eſt.* l. 3. c. 10. *Saliunt ferè in aqvâ, inungentur in flumen* aut piſcinam: in margine notatum eſt: *dum ſe mergunt in flumen:* ſed hoc longius à ſcripturâ recedit. Legerim itaqve: *Saliunt ferè in aqvâ. Inigentur igitur in flumen aut piſcinam: qvia in aqvâ fere ſaliunt anſeres: qvapropter tempore ſaliendi eos in flumen iniges.* Uſus hoc verbo eod. c. *Folia ejus decerpentes dant; ne ſi eò inegerint, ubi naſcitur, aut obterendo perdant, aut ipſi cruditate pereant.* Plautus: *inegit rete piſces.* Conjunctio verò, *igitur*, à præcedenti verbo facilè abſorberi potuit, ut plura paſſim ſunt exempla. Vale.

CXX.

Martino Opitio

S. P.

QVid tam pertinaciter ſileas, ut ad binas meas literas ne apicem qvidem reſcripſeris, Opiti Clariſſime, comminiſci certè non poſſum. Nam præter illas, qvas Benchvvitii uxor, & qvidem ita laceras attulit, ut Sibyllæ folia videri poſſent, nullas omninò accepi. Qvicqvid ſit, ego

ali-

aliâ qvavis cauſâ factum interpretor, qvàm qvod Buchneri amicitia ſordere tibi cœperit. Qvæ melioribus, ſpero, tecum rationibus mihi inita, qvàm ut tam brevi diſſolvi poſſit. Ego verò à te etiamatqve etiam peto, ut ad meas literas reſpondeas. Non enim dubito ad te perlatas. Sed & de Heinſii Belgicis Carminibus memor eris. Tota hæc vicinia aut milite aut bello infeſtata eſt. Hallenſem Diœceſin, & illam Anhaltinatus partem omnem, qvæ ultra Albim eſt, cum ponte, Wallenſteinius tenet. Citeriorem Regius & Mansfeldianus miles occupat. Utrimqve de incolarum corio luditur. Arcem Ragetiam, cui veteranorum militum præſidium impoſuerat Wallenſteinius, Mansfeldius expugnavit, deleto præſidio, qvod optimorum & veteranorum militum ibi Wallenſteinius reliqverat. Nunc Wolmerſtadium obſidetur. Rumor eſt & Aſcherslebiam recuperatam Fuiſſii ductu. Wittenberga noſtra egregiè munietur: bis mille operariorum qvotidie deſudant. Noſtra aula, cui parti potiſſimum faveat, non ſatis liqvet. Interim valde timemus, ne totius belli moles nobis incumbat. Qvo circa facilè potes colligere, qvis nunc bonis ſtudiis locus ſit, qvæ nunqvam melius qvàm inter qvietem tractantur & pacem. Sed ferre oportet, qvæ mutare neqveas. Qvid agatur apud vos, qvid Ampliſſimus Kirchnerus, Nüslerusqve valeant, ſcire expeto. Ego qvidem valeo, cæterum magnâ clade affectus, de qvâ adjunctum epigramma te docebit. Qvid clariſſimus Vir Henricus Schüzius expectet, additæ literæ vſtendent,

dent, qvas Hofmeiſterus ad me dedit. Niſi ipſe Schuzius jam tum ad te perſcripſit. De Argenide germanicè reddita multum te amo: unicè enim me cepit & elegantia & prudentia illius ſcripti. *Omnia plena Deo*, ut ille ajebat: ſed tuum nondum vidi. Nihil enim exemplarium ad nos perlatum. Nec fiet ante finitas nundinas Lipſienſes. Sed & Dianam amore perciti expectamus: præcipuè Daciam, qvâ te immortalem reddes. Vale.

CXXI.

Reichardo, Præceptori *olim ſuo*,

S. & O.

Literæ tuæ, Reverende atqve Doctiſſime Vir, per Caſparem Schlimbach, Ornatiſſimum Virum, mihi rectè traditæ ſunt, & velim perſvadeas tibi, nihil gratius nihil amabilius fuiſſe. Benè multi anni facti ſunt, cum inter nos neq; vidimus neqve ſcripſimus. Et verò absqve iis & Schlimbachio fuiſſet, cum ignariſſimis juxta ſcirem, ubi & qvomodo agitares. Qvæ res qvam triſtis & acerba fuerit mihi, facile colligere poteris, ſi recogitabis tecum, qvantopere te à teneris coluerim, hactenus amaverim. Tu enim ille es, qvi primus meæ pueritiæ Rex, ut cum Horatio dicam, extitiſti, qvi primus eam doctrinæ virtutiq; parâſti. Multum refert, cui pueritiam tradas. Nam velut lutum, qvam formam accepit, qvum adhuc facile eſt & digitos ſeqvitur, igne duratum poſtuà ſervat: ita & homines, ut primâ pueritiâ finguntur formanturqve, ita poſtea vivunt.

firma-

-- *firmata viros cum fecerit ætas.*

At tu qvantâ curâ pueritiam meam formâſti? Qvâ ſanctitate præfuiſti? Qvam ſedulò ea omnia abſtinebas, in qvæ incauta ætas offendere poſſet. Cum tu tantoperè videreris amare literas, & ipſe cœpi: cum te notarem continentiſſimum & acerrimum vitiorum hoſtem, ipſe qvoqve poſteà ſtudui, ut eorum liber eſſem. Scilicet *optimè docetur exemplis: qvæ imprimis hoc in ſe boni habent, qvod approbant, qvæ præcipiunt fieri poſſe*, ut ille ait. Igitur qvantum tibi debeam, facilè vides, etiam qvantum amem ac æſtimem, ſi credes, me nihil à diſciplinâ tuâ degenerâſſe, hoc eſt, à virtutis calle divertiſſe. Atqve utinam affectum meum exprimere, utinam gratitudinem meam ſatis tibi probare poſſem! Teſtes ſint hæ literæ, imò ſponſores ſint, me ab amore tuo deducturam nullam ſenectutem.

Sive ego Tithonus; ſive ego Neſtor ero.

Pro concione miſſâ gratias ago, & ecce tibi hic ἀντίδωρον, ſed valdè diſſimile, qvædam nugarum mearum. Ita vocare ſoleo carmina. Nam in his qvicunqve laborat hodiè, nugari videtur. Sed ſimus hoc Catone contenti. Tibi ſcio longè alia mens, qvem ſalvere atqve valere jubeo.

CXXII.
Tobiæ Kempffero
Eruditiſſ. Juveni,
S. P.

Mi Kempffere, ut amicitiam meam parares tibi, certè non opus erat mellitos verborum globulos in me ſpargere, tantum lectiſſimæ ora-

tionis adducere apparatum: Unum illud totam rem confeciſſet, amo. Ferreum enim & malis Gratiis natum, qvi non redamet tam ingenuè invitantem! ſed condono tibi hunc affectum, qvem ſcio & ipſum tenerè amandum eſſe. Cæterum velim tibi perſvadeas, me miris modis iis delectatum fuiſſe. Nam non eleganter tantùm venuſteqve ſcriptæ, & papavere veluti & ſeſamo ſparſæ erant; ſed & indolem illam tuam non publici ſaporis & bonæ mentis candidatam mihi non obſcurè loqvebantur. Perge tu vero, mi Kempfere, perge hanc viam & bonas literas ſeriò amare. Cui profeſſioni te propriè deſtinaveris, neſcio. Hoc ſcio, non ornamentum tantùm eas eſſe, ſed & acre telum adjumentumqve præbere cuilibet ſapientiæ parti. Nec eſt, qvod te inſubidiſſimi Seculi ſupercilium moveat. Spernimur literatores, imò premimur: at tu illud à me audi, qvod ex Sibyllâ Æneas:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Pauci ſunt, fateor, & numerabiles, qvi Muſas colunt. Sed & illud noſti: meliora qvæ ſunt, pauci ſeqvuntur. Seneca alibi ad Lucilium ſuum: *Qvid tibi vitandum præcipuè exiſtimes, qværis? turbam.* Ego noſtrâ tempeſtate idem dixerim. Ita ubicunqve multitudo, ibi & malum. Sed mitto iſta. Nolo enim turbare Satyram. De Schediaſmatis tuis ita felix ſim, ut ea videre geſtio. Qvapropter qvamprimum, qvamprimum mitte. Nam deſiderium meum vix fero. Non dimittam certè, niſi Epigrammate aliqvo, aut qvicqvid propitia dictabit Muſa, mactata. Cæterum qvid

illud

illud eſt, qvod in inſcriptione poſuiſti? Egone celeberrimus ſeculi noſtri Poëtarum, qvi vix Albi meo innotui? Cujus vix unum & alterum ſchedium publicè legitur, & qvidem invitis Muſis emiſſum? Neſcio qvis Imperatorum olim: *Vellem tam formoſus eſſe, qvàm Metius ſibi videtur.* Ego tantus (niſi fortaſſe hoc improbum votum) qvantum, mi Kempfere, facere voluiſti. Deindè cum me cum Heinſio comparas, qvid aliud facis, qvam Therſiten cum decoro, agreſtem cum erudito, hominem cum Deo. Humanum faſtigium Lipſio, in qvo ipſe fuit poſitus, exceſſiſſe viſi ſunt Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles & Julius ille Scaliger: ego qvintum HEINSIUM addo: cui ſeculum noſtrum nec eruditione, nec judicio (qvod illius anima eſt) parem habet. Poëtarum autem omnium longè Princeps eſt. Tubæ alius, alius Lyræ natus eſt. Qvi in ſocco placuit, mox in cothurno ridetur. At divinum illud ingenium in omnia ſufficit. Qvicqvid tentat, feliciſſimè perficit. Hinc ego non ſemper amare illud ſtudui, ſed qvantum poteſt, colere & admirari. Vide igitur, ne impoſterum amor mei nimius tibi imponat, qvi certè te faſcinaverat, cum iſta ſcriberes, & cave qvæſo ſedulò, ne cenſeare porro ſententiâ comicorum: *amantes amentes.* Sed heus, Kempfere mi! An notitia tibi cum Heinſio & Grutero? Ita ex tuis hariolor, & ſi eſt, gratulor certè. Non habet orbis noſter Heinſio doctiorem, non habet, cui plus literæ debeant, qvàm Gruterum: neminem utroqve humaniorem. Ego ſatis hactenus

didici ex iſtius præſertim literis. Qvas ſummus ille Vir ad hunc obſcurum literio uem tales dedit, ut humanitatem ipſam humaniorem facere poſſent. Et credas velim, ſi Alexander eſſem, me gemmeis loculis illas ſervaturum. Plura tecum garrire vellem; ſed videor mihi Poëtam inclamantem audire: *Obe jam ſatis eſt.* Ut igitur finem faciam, ita qvidem, ut ad principium retrogrediar, amo te, mi Kempfere, amo te, propter præclaras ingenii dotes & rectitudinem, atqve adeò, qvod Propertius noſter amicæ:

At me amore tuo deducet nulla ſenectus,
Sive ego Tithonus, ſive ego Neſtor ero;

illud ipſum tibi ſpondeo. Tu modo perge amare literas & bonam mentem. Qvæſo te ſæpius literas ut ad me des, & me de ſtatu tuo & ſtudiis erudias. Totum enim Kempferum noſſe mihi volupe eſt. Vale.

CXXIII.

Georgio Thurzoni Palatino *Ungariæ.*

Illuſtris, Spectabilis ac Magnifice Comes, Domine Gratioſiſſime!

QVum ignotis etiam, ſi ſapientibus credimus, prodeſſe debeamus, qvantò magis notis, & qvi in nobis præſidium ſuum tutelamqve ponunt? Qvapropter qvum N. Weinsbergerus Caſſovienſis Hungarus, Civis noſter, Vir ornatus & doctus ſperaret atqve confideret, negotium qvoddam pecuniarium facilius expeditum iri, ſi Illuſt. & Sp. M. V. per literas id commendaremus, noluimus in eo eqvidem ipſi deeſſe. Egit ſupe-

ſuperioribus annis apud nos ſtudiorum gratiâ Nicolaus Galgôcinus Ill. M. V. alumnus & cliens. Is qvum ad Rectoratum Scholæ Cſippegnenſis capeſſendum hinc diſcederet, prædicto civi noſtro pro obſonio debuit 26.fl.& 13.g. Qvod qvia longinqvo illo, qvod meditabatur, itinere, magni multiq; ſumendi ſumtus, expungere non potuit. Recepit tamen atqve promiſit bona fide primâ qvaqve occaſione pecuniam illam miſſurum, totamqve ſummam confecturum eſſe. Qvamqvam igitur noſter in eâ ſpe ſemper fuerit hactenus, fore, ut debitum illud, qvod ſancte promiſerat, expungeretur, tamen fruſtra fuit, & nullis modis ex eo pecuniam illam, ut ſic loqvamur, exſculpere, & commodam ſolutionem potuit impetrare. Qvia verô res ejus non ferunt, ut tricari amplius hominem patiatur, Ill. M. V. in cujus ditione & poteſtate eſt, adeundam, ejusqve auxilium implorandum, neceſſarium ſibi eſſe putavit. Etſi verò nihil eqvidem de Ill. M. V. benevolentia ac æqvitate dubitabat, tamen certis de cauſis petiit, ut & nos qvoqve per literas ei hoc ſuum negotium commendaremus. Itaqve ab Ill. M. V. eâ, qvâ par, reverentia rogamus ac petimus, ut hoc Weinsbergeri noſtri negotium ſibi qvàm commendatiſſimum habeat. Facietqve hac in parte V. I. M. qvod ſe dignum, & aliàs qvoqve maxime juſtum ac æqvum eſt. Nam etſi omnia juſtè debita ſolvenda ſunt; ea tamen cumprimis, qvæ apud eos contracta, qvi paſcere nos & ære voluerunt. Ranè illi velut Parentum loco ſunt: In illos qvi ingrati ſunt, maximè

omnium ingrati ſunt. Qvæ omnia qvo melius ipſe Dn Galgocinus intelligit, eò ſperamus magis pro viribus laboraturum eſſe, ne aut lenti debitoris aut hominis ingrati crimine ſe obliget. Qvod reſtat, nos Illuſt. & Spect. M.V. officia noſtra ſtudiaqve deferimus, qvam ut DEus Opt. Max. Patriæ bono diu valere florereqve velit, ex animo optamus ac veneramur.

CXXIV.

Tobiæ Hübnero

S. P.

ITa felix ſim, Vir Ampliſſime & Nobiliſſime, ut ego vereor planè ac erubeſco in tuum venire conſpectum. Qvis enim ullus cliens tam frigidus, tam ſupinus eſſe poteſt, qvàm ego fui hactenus; qvi non dicam aliqvot diebus, ſed menſibus ipſis ne perfunctoriâ qvidem ſalutatione officium meum tibi probavi. Poteram qvidem cauſſari negotia & alia, qvæ emplaſtri vicem arceſſere ſolent in iſtâ culpa deprehenſi: ſed malui ego me ipſum accuſare potius, & reum peragere ad tribunal tuum, qvàm ineptiſſimis excuſationibus perdere chartam. Qvis enim unqvam perſvadere ſibi patiatur, ſic me diſtringi negotiis, ut ne ſuperſit tempus paucis literis ad amicos exarandis? Alii hoc nomine ſuas prætexant culpas. Mihi jam apud te ineptire non fuit. Troaden Senecæ, ut noſter Opitius germanicè loqvi docuit, mitto duo exemplaria compacta. Alterum tibi à me habeas: alterum Illuſtriſſimæ & incomparabili Principi tuæ, cujus virtutes indies magis magisqve demiror, cum prolixâ atqve humilli-

mâ

mâ officiorum meorum denunciatione offeras, etiam atqve etiam abs te peto. Tertium exemplar ad Nobiliſſimum Dominum Werderum, ſi grave non eſt, permittendum curabis: çujus Taſſum nimis impatienter expectamus. Ecqvando prodibit tamdiu promiſſum opus? Qvando erit, ut Germanicas noſtras Muſas ambiguam palmam Italis feciſſe Camœnis appareat; qvæ in te jam olim omnem Gallicam ſvaviloqventiam argutiasqve ſuperarunt.

Hanc lucem celeri turbine Parca neat.

Philoſtratum Græcum cum verſione Federici Morelli Prof. Reg. Pariſienſis memini in Illuſtriſſimi Principis tui bibliotheca vidiſſe. Ejus uſum ad menſem unum abs te ut petam, facit illa tua inſignis comitas, qvâ præſenti mihi certam impetrandi feciſti ſpem, qvicqvid iſtiusmodi abs te orarem. Qvi tuus in me animus ut demutaverit, nullus eqvidem adduci poſſum. Is enim nobilium animorum ſtatus eſt, qvi mundi ſupra lunam: qvò nullæ mutationum vices pertingere poſſunt. Vale, Vir Nobiliſſime, & amare Buchnerum perge, qvi ut ſe tibi probare poſſit, omnia paratus eſt & facere & pati. Vale.

CXXV.

Conrado Hornejo

S. P.

Iteratæ tuæ literæ, Reverende atqve Clariſſime Vir, de conſtantia amoris tui erga me ſatis teſtimonii mihi perhibent. Cui affectui tuo niſi reſpondeam, næ ego neqviſſimus omnium ac ingratiſſimus ſim, qvotqvot in hâc terræ pila de-

gunt, ut cum Varrone dicam. Itaqve ſic habeas velim, vix qvemqvam eſſe præter te, cui me meaqve omnia velim probare. Qvid novi hic habeatur, ex Sonnemanno noſtro luculenter, puto, cognoſces. De qvo mereri benè, qvibuscunqve potero modis, ſedulo ſtudebo; tum qvia hoc meretur elegans eruditio morumqve lepor ſingularis; tum qvia id video tibi gratum futurum eſſe. Ex eodem & luculenter intelliges, qvis rerum noſtrarum ſtatus ſit. Hactenus qvidem nos non corripuit publicum iſtud incendium; terret tamen nos non leviter, qvi proximus ardet Ucalegon, & exhorreſcimus ad fulmina, qvæ totam pæne viciniam attonuere. *Cuivis poteſt accidere, qvod cuiqvam poteſt.* Trepidamus itaqve & ingemiſcimus patriæ malis. Præcipue qvum recordamur, eam ſuis ipſius viribus perire. Profectò neſcio, qvæ Ate aut Erinnys omnia miſceat ac turbet. Ut qvum ſinguli pacem expetant, nemo tamen eam ſerio eat procuratum. Qvamqvam de eâ coëundâ nunc iterum nuncii afferantur. Qvi utinam veri ſint, ut afflicta reſpirare patria, bonaqve ſtudia efflorеſcere ipſius iterum qveant. Ut enim à nobis nondum penitus exceſſerint: frigidiuſcule tractantur tamen, ut fieri ſolet inter armorum metus. Nunqvam enim ea habentur melius, nunqvam magis ſuccedunt, qvàm ubi mentem hilarem ac metu vacuam inciderunt. Qvam tibi perpetuam precor, mi Hornejo. Vale.

P. S.

Si qvid edideris, ne me illius patiaris exortem. Facit tuorum exqviſita eruditio, ut ſemper ea legere deſiderem.

CXXVI.

Geverhardo Elmenhorſtio

S. P.

Diu eſt, Elmenhorſti Clariſſime, qvo tibi & innoteſcere cupii, &, niſi hoc improbum votum, amari. Qvod qvis non in ſummâ felicitatis parte numeret, qvi te & eruditionem, qvâ beari ſeculum noſtrũ benignitate Numinis contigit, rectè didicerit æſtimare? Id tamen qvo minus hactenus conſeqvi potuerim, ipſe ille ſubruſticus meus pudor in cauſa fuit, qvi qvoties ſcribendi ad te impetus me cepit, illum oppreſſit atq; inhibuit. Nunc ut qvum Thomas Segethus Britannus Vir Nobiliſſ. & ad miraculum doctus, cujus amicitia ſerio gaudeo atqve triumpho, hac tranſiret & Hamburgum veſtram meditaretur, tandem meipſum vici, atqve nolui eum ſine literis meis dimittere. Nam meliorem poſſe latorem dari aut magis idoneum parari non animadvertebam. Qvippe qvi eruditione & ingenii divinitate tibi non ſolùm apprimè cognitus ſit; ſed & arctiſſimè amicitiâ conjunctus. Qvamqvam verò nihil in me inveniam, qvod tanti viri, qvalis tu es, amorem mereri poterat: ſi tamen hoc ipſum ſtudium meum in viros magnos & cultus, ſi literarum & bonæ mentis amor, qvi ingens me cepit, aliqvid ἑλκυστικοῦ habet, omnia de humilitate ac facilitate tua mihi polliceor, nec in-

tervertes, ſpero, hæc ignoti hominis vota. Sane & Dii gaudent & coli ſe ab hominibus & amari. De me hoc tibi velim perſvadeas, Elmenhorſtii nomen mihi ſemper tantum fore, & nullum unqvam bellum tam triſte eſſe poſſe, qvod non in gratiæ tuæ ſpem ſim militaturus. Certe me

- - - ab amore tui deducet nulla ſenectus,
Sive ego Tithonus, ſive ego Neſtor ero.

Vale, Vir clariſſime, & me ama.

CXXVII.

Facultatis Medicæ Decano Spectatiſſimo S. P. *Nomine alterius.*

QVo infelicitatis redactum ſit veſtrum collegium, Decane Spectatiſſime, ipſe maximè teſtis es, qvi unus univerſum nunc repræſentas. Qvæ clades profectò ut maxima eſt, ita deplorari facilius, qvam verbis exprimi poteſt. Qvanqvam verò intelligam, qvam arduum ſit affectare locum ejusmodi, qvem tenuere hactenus Clariſſimi & Excellentiſſimi Viri, qvorum obitu hæc tanta Academiæ invecta clades: tamen non dubitavi, Decane Spectat. nunc profiteri nomen meum apud Ampliſſimam dignitatem tuam, atq; obnixè ab ea petere atq; contendere, ut inter eos, qvi tecum impoſterum Medicam rem docere publicè Sereniſſ. Electoris auſpiciis hic debent, denominare Academia benevolè me velit. Meum qvidem non eſt, vindicare mihi per vanitatem aliqvid, qvod difficilius præſtatur re, qvam verbis oſtenditur: tamen in eam ſpem venio, his annis, qvos egi in Academia iſta ac urbe, eam & erudi-

eruditionem diſcendo, & experientiam faciendo medicinam comparaſſe mihi, ut partes iſtas non ineptiſſimè ſanè me adminiſtraturum fore confidam. Poſthæc & ita vitam conſtitui ſemper, ut nihil omninò contraxiſſe videar notæ deterioris: cum ita me ſemper geſſerim, ut bonum & honeſtatis amantem virum cumprimis decet. Magnum mihi præſidium certè poſitum eſt in benevolentia tua, Spectab. Domine Decane. Qvapropter abs te officioſe atq; obnixe rogo, ut deſideria hæc mea commendatiſſima tibi habeas, atq; in eum provehas locum, qvo qvidem pertingere maximè opto. Qvod beneficium ubi ſemel in me contuleris, nunqvam animo excidet & ego perpetuo T. Amplit. Dignitatem, prout par eſt, colere, venerari & qvibuscunq; referendæ gratitudinis rationibus ac modis proſeqvi, ſedulò ſtudebo. Vale feliciter, Domine Decane Spect. & Excellent. Vir, mihiqve favere ne dedignare, qvi nunqvam in ſe eam contrahet culpam, ut jure ingratus argui qveat.

CXXVIII.

Conſilium de ſtudiis rectè inſtituendis.

Nimia varietas & copia lectionum impedit magis ſtudiorum profectus, qvam promovet. Nam dum diſtrahitur animus, minus valet ad ſingula, & qvaſi juſta digeſtione concoqvere, atqve in ſuccum & ſangvinem convertere veluti, qvæ accepit, non poteſt. Pauca itaq; deligenda ſunt, & qvæ delegimus, iis inhærendum continuo ſtudio, ut capiantur rectius, & fidelius ſedeant.

ant. Ac Logicæ qvidem peculiares horas per dies ſingulos tribuendas minimè putem. Sed qvæ in iſthoc genere hactenus abſoluta fuerunt, iis repetendis per ſingulas ſeptimanas unam horam ſufficere exiſtimaverim. Ubi id dandum maximè operæ eſt, ut Syllogiſmorum & argumentandi rationes explicentur, omiſſis ſubtilitatibus, qvæ nullo alio fine diſcuntur, ab hujus loci hominibus, qvàm ut cum detrimento impenſi temporis dediſcantur. Poteſt & Dialecticæ uſus in ipſa evolutione auctorum, præcipuè qvi orationes ſcripſere, demonſtrari atqve oſtendi, qvomodo oratorum argumenta in Syllogiſmos reſolvi ac formari debeant, & iſti rurſus oratoriè modô tractari. Rhetoricæ dandæ horæ duæ: una, qvæ elocutioni ſerviat, altera, qvæ inveniendis & diſponendis rebus animum præparet. Qvos legerint auctores ſive Hiſtoricos, ſive Oratores (qvo refero etiam qvi epiſtolas ſcripſere) eos omnes vertant Germanicè, & deinde reddant latinè, ut de utriusqve lingvæ proprietate facillimè latiusqve conſtare poſſit. In Orationibus unus eminet Cicero: cujus eæ orationes præcipuè tractandæ, qvas ad Cæſarem habuit: qvibus addendæ & breviores ex Philippicis, item egregia illa pro lege Manilia: in iis enim multa continentur, qvæ ad Rempub. adminiſtrandam pertinent. Ejusdem epiſtolas etiam commendo: Præcipuè qvas ad Qvintum fratrem ſcripſit, ubi pulcherrimas & utiliſſimas inſtitutiones reperire licet. Ita autem in iis verſandum, ut qvicqvid cœptum fuerit, non deponatur de manibus, niſi abſolutum: ita enim

enim aſſveſcent ſtylo auctoris, feliciusqve imitabuntur. Abſoluta oratione aliqva, Hiſtoricorum aliqvis ſumatur in manus. Primum Vellejus, deinde Victor vel Eutropius. Vellejus ſimiliter continua tractatione evolvendus: poſtea per vices Victor & Eutropius legi poterunt; Ita qvidem, ut qvæ in altero abſoluta fuerit portio, in altero (nam argumentum utriusqve idem proponendum eſt) veluti repetatur. Ita enim firmius hærebunt animo res, & copia de una re dicendi variè comparabitur. Sed dum verſantur auctores illi ſimul & de ratione temporum commonefieri adoleſcentes debent, ex Chronologicis auctoribus, ut obſervent & annotent, qvâ qvisq; vixerit ætate, & qvando geſta ſint, de qvibus ibi exponitur. Cum Chronologia jungenda & Geographia eſt: ut de regionibus terrarum conſtet. Memini nuper Pomponii Melæ, qvi ad Geographiam veterem ſufficere in iſto ætatis ambitu poteſt: ex qvo poſt cognitionem locorum & hæc utilitas expectanda, ut elegantis & caſtigatæ Latinitatis copiam promittat; qvi tamen legendus magis, qvàm vertendus erit. Ad facultatem dicendi plurimum confert, ſi aliqvando Chriam vel ſententiam aliqvam auctoris, aliis verbis exprimant, & ita per omnes caſus commutent. Qvæ exercitatio dici non poteſt, qvantùm utilitatis præſtare ſoleat. Aliqvando & Theſis aliqva proponatur, vel aliud qvoddam progymnaſmatis; qvod juxta præcepta Rhetorum tractent. Qvandoqve epiſtolæ, orationis cujusdam, gratulatoriæ puta, laudatoriæ, funebris, allocutoriæ &c. thema,

thema, qvod elaboretur, dabitur, qvo plurimum prodeſſe poterunt eruditiſſimi Voſſii inſtitutiones, ubi de inventione ſpeciali exeqvitur. Nolim autem iſta ſimul inſtitui: per intervalla facienda ſunt; & initium capiendum à progymnaſmatis facilioribus: in qvibus cum exercitati fuerint, ad compoſitionem orationum demum accedendum. Et qvoniam major ac promtior nobis patriæ lingvæ copia ſuppetit, non inutile exiſtimaverim, ſi propoſita themata primum Germanicè pertractent, & in latinum deinceps convertant ſermonem. Sed compoſitio harum rerum matutinis horis tribuenda eſt; ubi vegetior animus, & ad inveniendum aptior eſt. Lectio verſioq; auctorum pomeridianis horis peragenda. Ne rudes omnino poëſeos ſint, & ut de verſuum & ſyllabarum menſuris conſtet (ne in pronunciandis impingant ac peccent) aliqvid etiam temporis in iſtam literarum partem impendendum erit. Qvod optime fiet, ſi poſt neceſſaria maxime & generalia proſodiæ præcepta, vel Publii Syri Mimi, vel lectiores Horatii epiſtolæ proponantur, & proſodiacorum præceptorum uſus demonſtretur, explicata omnium pedum ac ſyllabarum ratione ac qvantitate. Nam in utroqve auctore, Horatio dico & Publio, pura ac elegans, & perqvam civilis, non figurata ſublimiorqve dicendi ratio ineſt, qvæ in Tragicis Epicisqve poëtis reperitur. Præterea egregiæ ibi habentur ſententiæ, qvæ magnum uſum in omni vitæ colore promittere poſſunt Ethica atqve politica paulò adultioribus annis reſervanda putaverim: cum paulò

uberio-

uberiorem copiam latini ſermonis paraverint ſibi, atqve in lectione auctorum acuerint judicium melius,& ad majora inſtruxerint. Sed inter legendum auctores utiliter aliqvid pro data occaſione de virtutibus vitiisqve, & qvæ ad civilem prudentiam pertinent, præparandis animis veluti & qvodam imbuendis guſtu pro captu ingeniorum moneri poteſt. Hæc cogitanti obiter inciderunt animo, qvæ profutura illi & Nobil. Adoleſcentulorum ſtudiis videbantur. Deus ſecundet cœpta,& feliciſſime ſinat exire.

CXXIX.

Reverendo atqve Clariſſimo Viro,
Domino

Balthaſari Meiſnero, S.S.Theol.D.

& Prof. Publ. &c.

S.

PErlegi, ut volebas, Reverende atqve Clariſſime Vir, JOHANNIS PAULI CZARNCOVII librum, qvem ſuperiore annô edidit, & *anni jubilei* Elogio præſcripſit. Et deprehendi veriſſimum, qvod tu, qvum traderes, ſubmonebas, novam planè Grammaticam eô introduci: imò, qvidqvid præceptum unqvam ab eruditis Grammaticis, negligi, ſperni, conculcari Profectò miratus ſum hominis in loqvendo infantiam. Ecqvid enim, non dicam ineptius, ſed rudius à multis annis prodiit in lucem? Si in Latinitatem peccaret tantùm, & ſemibarbara pro latinis nobis obtruderet, ferri id poſſet, & nemo, opinor, reprehenderet Neqve enim ſemper vacat de verbis eſſe ſolicitum, Præcipuê qvi realia, ut loqvuntur

tur, tractant, & utilitati magis, qvàm gloriæ ac eloqventiæ ſtudent. Qamqvam CZARNCOVIUS noſter neſcio qvid affectaſſe videtur hoc librô; nec tantum Theologum, ſed & Oratorem voluiſſe oſtendere. Nam qvàm ubiqve ſatagit, ut picturatam, atqve, ſi Diis placet, grandem orationem efficiat? qvàm undiqve conqvirit flores, & omnia phraſeologorum, omnia Eclogariorum ſcrinia compilat? Nam de Adagiographis qvid dicam, qvos vere totos exſcripſit? Itaq; qvod ſcribit alibi ſe *ſtylo communi* uſum hoc libro, Socratica diſſimulatio eſt. Cui εἰρωνεύεσθαι pars ſapientiæ fuit. Verum, ut dixi, ferri poſſet, ſi malus Latinus tantum eſſet: nunc qvum & malum Grammaticum profiteatur, nec tantùm horride ac pure parum; ſed & incongrue ac inconcinne loqvatur, eqvidem difficile eſt bonum habere ſtomachum. Præcipue qvum id non ſemel ac iterum, ſed ſemper agat. De Zoilo ſuo dixit Hiſpanus Poëta, *non vitioſum eſſe hominem, ſed vitium:* ego id de librô noſtro dixerim. Neqve enim qvidqvam ſani eſt in totô corpore. Omnia barbariſmis, ſolœciſmis, ineptiis oppleta ſunt. Et feci ego periculum, ne linea qvidem eſt, ubi non vel diſpunctione, vel ratione ſcribendi fuerit peccatum. Qvod à typographis eſſe qvis credat? Bis terve illi aberrare potuiſſent ab avtographo, non ſemper, niſi facinus nervo & carcere dignum deſignare voluiſſent. Sed cur non in tempore aut emendavit, aut ſaltem monuit in eô, qvem Erratorum attexuit, catalogo? Neqve enim Romæ vel Venetiis,

aut

aut alia nimis longinqvâ urbe excuſus eſt liber, ut aſſidere neqviert operis atqve earum σφάλματα mature notare. In ipſâ Sileſiâ, in ipſâ majore Glogovia, ubi agebat, & curabat ſacris, typis exſcriptus eſt. Qvòd ſi hoc negotium dedit Fratribus: næ illi malâ prorſus fide id adminiſtrarunt. Digni profecto, qvi aliqvot diebus eluriant. Videntur enim magis curaſſe, ut ventri ſuo benè eſſet, qvam ut Prioris libro. An illis fuerunt ſimiles, qvi Alnetum olim, Abrincenſis Diœceſeos in Galliâ tenuere Cœnobium? Qvibus urbanus qvidam ac argutus homo ædificiorum macerias oſtendens dixiſſe fertur, ruinas has interveniſſe, qvod nemo ex illis vel verbuli latini tibicine fulcire potuiſſet. Qvidqvid ſit, tenetur homo: & neceſſe eſt eum vel imperitiæ, vel oſcitantiæ ac negligentiæ incurrere crimen. Ego verò qvamvis à reprehendendi ſtudiô alienus ſim, atqvè id curem potius, ut mea emendem peccata, qvam ut errores aliorum ſive indagem, ſive confodiam: tamen in tuæ gratiæ ſpem, Reverende Domine, qvoddam Grammaticænè an Eloqventiæ Czarncovianæ, certè utriusqve, concinnare ſpecimen placuit. Non tam ut reprehenderem hominem, qvàm ut monerem. Pleraqve hominum pars ſua vitiâ ignorat. Et verò erat periculum, ut majus malum adiret, ſi, uti nunc cœpit, indulgere morbo ſuo pergeret. Plautus dixit:

Amicum caſtigare ob meritam noxiam
Immune eſt facinus, verum in ætate utile
Et conducibile.

Q Ita

Ita ego cogitabam, & ſimul reputabam mecum: ut tu amicum offendas in his nugis; tamen

- - - *Hæ nugæ ſeria ducent*

In mala deriſum ſemel exceptumqve ſiniſtrè.

Habe itaqve tibi, Meisnere Clariſſime, Grammaticas haſce Animadverſiunculas noſtras in annum Jubilei Czarncovii: qvæ nobis legentibus illum librum exciderunt. In qvibus tamen non abſolutum Catalogum eorum cernes, qvæ peccavit Prior noſter; ſed ſpecimen tantùm novæ ejus Eloqventiæ, ut ſupra dixi. Qvicqvid de illis feceris, per me ratum erit. Qui omne jus, qvod in illas hactenus habui, tradendo tibi prorſus tranſcripſi. Qvod reſtat, ſingulares ago habeoqve gratias, qvod me tam bella ridendi materia noluiſti privare. Videbar mimorum hilaritate frui, qvum librum iſtum legerem: & nunqvam diſceſſit à latere meo amabilis ille comes Veneris, ut mei contribules fingunt, Divus riſus. Vale & me ama.

T.

Obſervantiſſ.

Auguſtus Buchnerus.

PIndari præceptum eſt, ἀρχομένε ἔργε πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. Obſervaſti id Czarncovi optime, & ſicut veteres fores ſuas antipagmentis qvibusdam exornare ſolebant, ita tu in ingreſſu ſtatim operis *oculiferia* qvædam, ut Senecæ vocabulo utar, poſuiſti, qvibus invitares adverteresqve Lectores. Ea, ſi vacat, videamus ſodes. Scribis

In

In Titulo.

In primâ parte verum ſimulqve orthodoxeum ſenſum de indulgentiis explicans.) Neſcio ſanè, Czarncovi, *utrum ſis albus an ater homo*: imò Græcusnè an verò Latinus, ita tu neqve Græcè nec latine loqveris. Nam qvis unqvam eorum *orthodoxeus* dixit? Mirus profectò artifex es: fingis vocabula,ut lubet:, hic plus juſtò benignior, ibi ad ferrum usqve crudelis. Nam qvum alterum auxiſti literâ, alterum minuis, imò detruncas. Hic *orthodoxeum* dicis pro *orthodoxo*,alibi *legitimum*,pro *legitimo*. Qvod a typographo eſſe,qvis credat,qvi ipſis (*Pag. 6. v. 2. p. 29. v. 30. p. 33. v. 32. p. 37. v. 5. p. 51. v. 14. p. 57. v. 14. p. 64. v. 2.*) ſeptem locis hoc vocabulum ſic exaratum noverit?Contra *allegorium* pro *allegoricô* dixiſti. qvumPartis I cap.2.ſcribis: *p. 19. Primum in veteri Teſtamtnto teſtimonium allegorium eſt*, &c. Sed & in ipſo titulo &præſcriptione,de qvâ nunc agimus, *Calcographum* pro *Chalcographo*: Et pag.20.lin.13.*gariunt* pro *garriunt* poſuiſti. An ſerio hoc agis, Czarncovi, an ludis, & qvidqvid verborum Græci Latiniqve invenerunt, velut pilas habes?

In Dedicatione.

Pag. 1.lin. 14.Variis inſaniis.) De anno veſtro Jubilæo qvid factum ſit, eqvidem neſcio. De eo certus ſum,illudPlauti optimè experiiſſe in te, qvum pulcherrimum iſtuu librum cuderes:

Larvæ hunc, ac intemperiæ inſaniæqve agitant ſenem.

P. 2. l. 1. In Opuſculum veritatis congeſtum) *Congerere annū in opuſculum, & qvidem veritatis;* locutio aurea, qvin imò gemmea, qvidqvid contra dixerint Ariſtarchi noſtri & Critici, qvi neſcio qvid nobis de ſermonis vitiis commenti ſunt. Qvos Logodædalos qvòd maſculô contemnis animo, ac omnes, qvotqvot ſunt, ne flocci qvidem facis, næ tu ſupra Thaletem ipſum mihi videris ſapere, Cor Theologi.

Lin. 8. Tua ILLUST. & MAGN. DOM. Curioſè excuſſi qvicqvid & Tiro, & Seneca, & M. Valerius Probus, & P. Diaconus, & Papias, & ſi qvi alii ſunt hujus Muſæ, de Notis Veterum ſcriptum reliqverunt. Sed nemo eorum me docere potuit, qvid iſta vellent; præcipuè verò qvomodo ultimum illud DOM. eſſet interpretandum. Et adhuc neſcirem, niſi commodum me amicus monuiſſet, DOMINATIONEM ſignificari. Cæterum fruſtra me eſſe, qvod de iſtâ formâ antiqvos interrogem. Qvippe qvæ novitia ſit, & tum demum nata, qvum armentarii Poloni latinè didicerunt. Iis enim nihil eſſe tritius, qvàm ut ſe invicem DOMINATIONIS vocabulo honoris cauſa compellent. Hæc ille. Cui ego non difficulter fidem habui, qvod rerum Polonicarum non imperitus videretur. Qvippe qvi ſub eo cœli tegmine & natus eſſet & educatus, ubi Sileſia Sarmatiæ jungitur, & utriusqve gentis commercia vel maximè florent.

Lin. 17. Catholiciſſime Domine,) An *Catholiciſſimi* vocabulum Ciceronianis probare poſſis, valdè dubito. Novi triſte illorum ſupercilium

& qvam

ꝛ qvam moroſè verba exigere ſoleant. De me
ibi ſecuro eſſe licet: nec enim erit, ut dicam
cribam. Scio enim & veterem Novellarum
nterpretem, hominem eruditum *Philoſophiſſi-
mum* dixiſſe, qvum φιλοσοφώτατος vertendum
rat. Sed & apud Martialem, qvem vos inteſta-
ilem feciſtis, *pathiciſſimos libellos* legimus eadē
ormâ. Qvi tamē in eâ voce jocum videtur qvæſi-
iſſe. Cui rei inſervire aliqvando ſoleat ſuperla-
ivi iſtiusmodi nove confictì. Itaq; videris, ne aut
a in re ſeriâ ridiculum agas; aut Patronū tuum,
luſtrem ac Splendidiſſimum virum, jocum lu-
umqve facias. Nam ſi putas, *Catholiciſſimi* vo-
abulum neſcio qvid grande atq; magnificum
onare, eqvidem bonâ fide doleo, id nondum
atum fuiſſe aut notum, qvum potentiſſimus
Hiſpaniarum Rex *Catholicus* appellari meruit.
Qvantò enim, ut ſic dicam, Hiſpanius fuiſſet *Ca-
holiciſſimum* nominari? Profectò id conſecutus
uiſſet, ne Galliarum tantùm Monarcha *Chriſtia-
iſſimus* per Superlationem ſalutaretur.

*Lin. 19. Perge igitur & hoc fidei opuſculum
remio excipias.*) Qvid hoc eſt, Czarncovi? *Per-
e & excipias.* Itane te loqvi docuerunt ſermo-
is magiſtri, qvorum præceptum, *ne modi mu-
entur in eadem oratione?* Scio in verſu hoc ali-
vando ſibi indulſiſſe Autores; ſed & hoc ſcio, a-
ter Poëtas loqvi, aliter eos, qvi proſa ſcribunt:
vem tu in præſentiarum agere animi gratia in-
tituiſti. Sed illi ab iſtiusmodi durioribus enalla-
is ferè abſtinent; niſi σολοικίζειν velint: qvod tu
imis ſolens facis, mi optime & diſertiſſime
Czarncovi.

Lin.20. Tueatur. Rectè facis, Czarncovi fortiſſime: ubiqve tuus es: qvum ſemel Grammaticorum frigidiſſimos canones inſtituiſti parum curare, nusqvam non eos magna conſtantiâ animi, non tàm contemnis, qvam calcas. Certe ſi penes ipſos ſuper hoc loco judicandi poteſtas ſtatuatur, næ illi confeſtim te Legis Corneliæ reum pronunciaverint, qvod innocentiſſimo verbo *Tueri* in ferre vim, & qvum ex deponentium numero ſit, paſſivi ſignificationem extorqvere volueris. Sed bene habet. Atqve utinam ubiqve tam recta ſaperes, qvam qvum hic *τὸ tueatur παθητικῶς* poſuiſti. Certè opus non fuiſſet animadverſionibus iſtis, & poteramus ſuperſedere hoc ſcriptionis labore, qvem penè inviti ſuſcepimus. Neqve enim novum, optimis etiam ſcriptoribus, deponentia paſſivè uſurpari, ut præter Gellium ipſe Priſcianus lib. IIX. obſervat. Qvin hoc ipſo verbo *tueri* paſſivè uſus eſt Vitruvius lib. IIX. procemio. Sed vereor, ne velut navigantes qvandoqve errore in portum, ita tu in veritatem fueris delatus.

Lin. 21. Perpetuum & immortale fiat.) Qvot annos duraturus ſit annus tuus, vaticinari non habeo. Neqve enim aut divinus ſum, aut imaginoſum patior. Viderit charta, qvid valeat, qvid ferre recuſet. Cæterum immortalitatem ei velle promittere, hoc eſſet ex fragiliſſima materiâ Deum velle ordiri. Poëta Hiſpanus dixit:

Victurus genium debet habere liber.

At verò tuus nec ſenſum communem ubiqve habet. Certè ἄμουσος prorſus eſt, &, ut ille ait, *craſſâ Minervâ.*

Lin.

Lin. 25. Tuæ Illuſtr. D. affectiſſimus.) Plura hic notanda ſunt. Primo: ubinam *affectiſſimus* legitur hoc ſignificatu? Et notavimus ſupra, ſuperlativos iſtiusmodi, ut Grammatici, *Gens exoſa tibi*, loqvi ſolent, ridiculo fere inſervire & jocis. Hinc apud Plautum, *ipſiſſimum, oculiſſimum, occiſiſſimum, excluſiſſimum* legimus. Et qvæ alia ad iſtam faciem commentus eſt leporum pater: qvibus nemo, qvi ſanæ mentis eſt, extra ſcenam, & in re ſeria uteretur, ubi nulli alii rei minus, qvàm riſui locus eſt. Deinde qvis *affectum* vel *affectiſſimum*, aut hac notione, aut hac conſtructione cum genitivo vel dativo dixit? Neqve enim hariolari licet, utrum *Tuæ Illuſtris Dominationis*, an *Tuæ Illuſtri Dominationi*, volueris. Da veniam ſimpliciter loqventi, Czarncovi, & patere me ſcapham vocare ſcapham: profectò hæc barbara, hæc ſolœca ſunt. *Dic aliqvem*, ſi potes, *dic Qvintiliane colorem.*

Præfatione ad Lectorem.

Revolvitur hæc Admonitio per manus multorum, & à qvibusdam etiam deſcribitur; non advertentes illud deceptionis argumentum.) Hercules tuam fidem! Hæc qvidem monſtra ſunt; ſed ad qvæ debellanda, non tam clavâ illâ roboreâ, qvam ſceptro Orbilii opus eſt,

- - - *qvod ab arbore ut reciſum eſt*
Nulla jam poterit virere fronde.

A qvibusdam (adverte aures Czarncovi) *non advertentes.* Cœlum terrâ miſceas, ſolœciſmi culpam deprecari non potes. Et tamen non abſimili Syntaxi infra qvoqve uſus es Procemio par-

tis ſecundæ ſtatim initio. Nam poſtqvam magnifice ſane & tam graviter, *Cogitanti mihi* &c. eſſes exorſus, ut jam vel ipſe Tullius, vel Minutius alter Felix (qvorum ille Lib. 2. de Oratore, iſte Octavium ſuum, Dialogum pulcherrimum, & qvo nihil elegantius in iſto genere Antiqvitas vidit Chriſtiana, iis ipſis verbis incipit) videreris: mox ad Czarncovium tuum redis iterum, & nimis qvàm concinne iſta ſubjungis: *Coëgit me nonnulla obiter indicare gravitas criminationū* &c. Occiſiſſimus es, Priſciane: periiſti funditus. Nam qvem Machaona tibi invenies curandis tot & tàm graviſſimis plagis, qvas tibi cucullatus iſte Geryon impingit?

Lin. 22. Ut cum operæ pretium ſit.) Etiam atqve etiam te qvæſo, Czarncovi: *Da ſi grave non eſt*, non, *qvæ prima iratum ventrem placaverit eſca*, ut ille ait; ſed qvæ te impulerit ratio, de qvâ *operæ prætium*, & non pretium ſcribere libuerit? Namqve ſi illa ſtricta ſuo pondere, ſi vera eſt, admodum turpiter hallucinatus eſt Ennius, & infeliciſſimo pentametrum finiit ſcribens;

- - - *cui nemo civi' nec hoſtis*
Qvivit pro factis reddere operæ pretium.

Qvum tamen omnes ſive literati ſive literiones hactenus crediderint, non modo vicio carere carmen; ſed & ſyllabam illam non niſi ſimplici elemento ſcribendam eſſe. An vobis, Fratres, diphthongi ſimplicesqve vocales nullo habentur diſcrimine, atqve adeò perinde eſt, ſive *prætium* ſcribatur, ſive *pretium*? Videtur ſvadere id liber tuus, Czarncovi; neqve enim hoc tantum

pco *pratium* pro pretium ſed & p.30. *Conqveri-ur* pro *conqveritur*.p.66 *falicitatem* pro *felici-tatem:* contra p.26. *nevo:* pro *nævo* p. 28. *qveri-ur* pro *qværitur:*item *ſevitia* pro *ſævitia*,legitur ſempe valedixiſti ſeculo: Itaq; mirum non eſt, t vitæ, ſic & ſcriptionis genere nobis longè di-tare, qvi in ſeculo vivimus.

Lin. 24. Manciperam.) Nihil diſſimulabo: iu me torſit iſta *mancipera*, & parum abfuit, bjeciſſem. Tandem poſt varios cogitationum ſtus, ſubiit,& hoc qvoqve ad novam ſcribendi ationem, qvæ non niſi ultramundanis illis & eraphicis propria eſt, pertinere, qvâ receptum, c ſeparanda conjungere & ſeparare conjuncta. Hinc enim ex *manci pera*, *mancipera* facta eſt, lti infra pag.20. *propœna*; p.22. *adqve*; p.27. *in-latera*. p. 28. admentem p. 74. *ſitam* ex *ſi tam* &c.&p.6 *obii eris* ex *obieris*:p.39. *in credulitatis* x *incredulitatis*, p.43. *in dubie ex indubie*,&c.

Pag. 4. l. 1. Claudi manticam.) Cur hoc ad-didiſti, Czarncovi? an non unum ac idem pro-verbium *manci pera* & *claudi mantica*, diver-ſimodè tantum interpretatum ex Græco, κυλλῷ πήρα, ab Eraſmo?

P. 5. l. 15. Stylo communi.) Itane *communi*, Czarncovi? imo inuſitato planè ac novo. Nam qvisnam alius ita ſcribit, qvam tu, & tui fortaſſis fratres? Seqvuntur Præſultorem Salii: nec niſi Doricè loqvuntur Dores.

Lin. 17. Idolotita.) Dupliciter peccas. Nam & T pro Th & I pro Y poſuiſti. Neqve enim Græci, qvi totum vocabulum ſibi aſſerunt, id

Q 5 qvod

qvod idolis immolatum eſt, εἰδωλότιτον ſed εἰδωλόθυτον vocant: nec enim τίειν, ipſis ſacrificare, immolare, eſt: ſed θύειν &c. *Qvid pueri faciant, peccant qvum talia Patres?* Aut ſi hoc magis placet: *Qvid faciant fratres, audent qvum talia Patres?* Sic. pag. 38. *Babilone* pro *Babylone*: p. 39. *Babilonico*: pro *Babylonico*. p. 42. *Apocalipſi* pro *Apocalypſi*. p. 61. *Hieroſolimis* pro *Hieroſolymis* legitur. Scio, qvid eruditiſſimi Viri monuerint: Græca vocabula, ſi Latii jus conſeqvuta fuerint, Latinis, non Græcis literis ſcribenda eſſe. Sed tu de iſto ne ſomniaſti qvidem. Nam qvid hoc eſſet, Græca Latinis elementis ſcribenda ducere, & contra Latina Græcorum literis exarare, repugnante origine & indole vocum? Profecto id eſſet *mutare qvadrata rotundis*; imo antiqvum barbariei monaſticæ chaos reducere: qvod pro virili portione tuâ ſtrenue facis, Czarncovi. *Simus* ut puto, Latinum eſt: qvanqvam ex græco σιμός. unde *Simon*, (ut ipſe mones, in brevi illa, qvidem, cæterum pulcherrima & abſolutiſſimâ diatribe; unde nomina deſumi ſoleant) item *Simia*, turpiſſima beſtia, dicitur. At nōne tu, Czarncovi p. 6. *Symia* & p. 35. *Symon*? Et pag. 6. *Chymera*: qvū tamen Græcè χίμαιρα ſit? Et p. 10. *Cythara*, *Cytharœdi*, qvum Græcè tamen κιθάρα, κιθαρῳδοί? & pag. 16. *Hyppomene* pro *Hippomene* ſcripſiſti? Neqve enim ὕππος Græcis eqvus eſt; ſed ἵππος, à qvo illud vocabulum deducitur. Sed & *hyrundo* p. 8. legitur, qvod tamen totum Latinum. Profecto, Czarncovi, aut ſummè rudem, aut nimis qvàm oſcitantem te eſſe oportet. Nam niſi

id

eſſet, aut non peccaſſes tam pueriliter; aut ſi
vid manus, ſive tua, ſive Chalcographi etiam
errasset, in tempore correxiſſes. Nunc qvum
ihil hujus factum ſit, ignorantiæ culpam, qvic-
vid contendas, abs te deteſtari non potes.

Lin.18. Trica Apina.) Novi, qvam diſpun-
endi rationem teneas. Inciſum ponis, ubi nulla
ſpiratio, nullus ſenſus eſt; non ponis, ubi eſt.
ed tu profectò pro tua libidine, ut ſupra ex uno
eminum: ita hic ex gemino unum nobis adagi-
m concinnare voluiſti. Qvaſi verò nugamen-
a frigida, & res planè futiles, vel *tricas* abſolutè
on poſſim dicere, vel *apinas*; nec alterum po-
ere absq; altero? Sane Plautus Curculione di-
it: *Qvod argentum, qvas tu mihi tricas narras?*
Et veteres Gloſſæ: *Apinæ* ἄφανναι. *apinæ* ἀμαλο-
γίαι. Hinc *apinari* verbum, id eſt, nugari, in Iſi-
dori Gloſſis: & *apinarii*, nugones, γελωτοποιοὶ,
pud Trebellium Pollionem in Gallienis. Cæ-
tera apud Eraſmum vide in Adagiorum opere:
qvod ſolum fere in Prohibitorum Catalogum
non venit. Qvod ſi attentius legere, qvam ra-
ptim, & neſcio qvid aliud agens, deflorare in ani-
mum induxiſſes, non hercle vel tironibus litera-
rum tui miſerrimi Centones ludibrium deberent.

*Lin.24. Nomina ſumuntur &c. aut ex virtuti-
bus, ſicut Jaſon à mendendo dictus; ſic Piſones, Fa-
bii, &c.* Et tu qvoq;, Czarneovi, *cupreſſum ſcis ſi-
mulare*. Nam qvid ad rem facit hæc tua παρέκ-
βασις? Cui uſui eſt? nonne prorſus illa nihil ad
Bacchum? Demereri voluiſti Philologos? At-
qvi hæc nota fuere, anteqvam Theognis naſce-
retur,

retur. Et novimus, unde iſta deſcripſeris: qvanqvam oſcitanter; pro more tuô, & ſtulte. Nam qvid hoc eſt, *ex virtutibus dictos Piſones, Fabios, Cicerones?* Ergone aut *pinſere bordea*, aut *fabas ſerere*, virtutis opus eſt? Atqvi ab illo Piſonum nomen vetus Poëta, qvem vulgò Lucanum exiſtimant; ab iſto Fabiorum Plinius deducit. Cæterum *Cicerones* prorſus ad hanc claſſem non pertinent: ſi illi à faciei vitio ſic dicti ſunt; qvod Plutarchus & Priſcianus nos docent. O novum Homerum Philoſophorum!

P. 6. l. 2. Et reliqvi præſtantiſſimi dicti ſunt.) Qvi præſtantiſſimi, Czarncovi? Sed agnoſco Polonicam, certè novitiam Latinitatem.

L. 8. Effare dubitas) Ecqvid *effas* hic Nobis, optime Vir, & niſi qvid veſtis mentitur, ſanctiſſime? Qvid *effas*, inqvio, ut tuum verbum tibi reddam? Neqve enim ſat capio, qvæ ponis hoc loco. Et eſt tota periodus, niſi omnia fallunt, turbida admodum & confuſa. Græcorum cantilena fuit: ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι. Ego tibi dixerim, aut rectius utere bonorum Scriptorum Eclogis, aut manus tuas picatiſſimas ab illis prorſus abſtine. Ne audias, qvod Theoni Auſonius dixit: *Bonorum mala carminum Laverna.* Qvam bellè enim ex Senecæ Tragœdiis præſentem effinxeris locum, videbunt facile, qvi fungi non ſunt, & hos elegantiſſimi Poëtæ verſus cum tua inſulſiſſima proſâ contendent. Scribit Seneca in Agamemnone.

Regina Danaûm, & inclitum Ledæ genus.
Qvid tacita verſas? qvidve conſilii impotens
Tumi-

Tumido feroces impetus animo geris?
Licet ipſa ſileas, totus in vultu eſt dolor, &c.
em in Herculê Oetæo.
– – Licet ipſa neges,
Vultus loqvitur qvodcunqve negas.
a Oedipô hæc ponit:
Effare; dubitas? cur genas mutat color?
Qvid verba qværis? Veritas odit moras, &c.

x his tribus locis Senecæ tu hunc centonem noiis conſarcinaſti: qvæ, ſi aut oculos habuiſſes, aut enſum ullum in literis, qvum legeres, næ tu ita otius ſcripſiſſes & diſtinxiſſes: V*erum qvid taci-a verſas? licet ipſa ſileas, licet ipſa neges, vultus oqvitur qvodcunqve negas. Effare: dubitas? Cur aciem mutat color? qvid verba qværis* &c. Qvæo te, mi Czarncovi, diſce in poſterum cautius nercari, imo furari? Nam ecqvid juvat, egregia urta male perdere?

Lin. 12. At ingenue fateor, qvod Scorpius veneum in caudâ gerit, & obliqve ferit; & argentum icet candidum, nigras ducit lineas, &c. *ſic & tu Admonitio: fidelitatis opinionem, & imaginem btinuiſti, à re tamen exulatur.*) Vide, qvàm de te ene mereri ſtudeam, Czarncovi? Superiorem eriodum in tuam gratiam bonæ menti reſtitui: dem officii genus & huic præſtabo. Qvod ſi ad errum nonnihil & ſectionem veniendum eſt, on graviter feres. Qvin hoc ipſum beneficio imutaveris: qvum aliter ipſi ſanitas conſtare neqveat. Scribe itaq;, ſi me audis: *At ingenuè fateor, qvod ſicut Scorpius venenum in caudâ gerit & oliqve ferit; & argentum, licet candidum, nigras*

tamen

tamen ducit lineas: & carbunculi ignis nomen & ſpeciem habent, ignem tamen non ſetiunt (malim *habent*) *ſic & tu Admonitio, fidelitatis opinionem & imaginem obtinueris, à re tamen exules &c.* In iſtum modum, Czarncovi, refingendus nobis videbatur hic locus, ne ex ſenſûs eſſet. Nunc, ſi vacat, putemus rationes, cur videbatur. τὸ *velut* de noſtro addidimus: ut τὸ *ſic* ſcilicet, qvod infra legitur, haberet, qvò referretur, nec imperfecta eſſet oratio, & anacoluthon fieret. Deinde pro *obtinuiſti, obtinueris* reſcripſimus: ne qvid peccaretur ſcilicet in Grammaticorum regulas aut uſum auctorum. Sic *exules*, pro *exuletur* poſuimus, ut eadem eſſet conſtructio, & ne qvâ injuria ſe affectum conqveratur Priſcianus, Vir honeſtiſſimus, & dignus certè, qvi â te liberalius habeatur.

L. 21. Galatheam prædicas] Supra *idolotita* pro idolothyta: hic contra *Galatheam* pro *Galateâ* ſcribis. Annon Græcè γαλάτεια eſt?

Lin. 24. Bel erat externè.) Poëtæ Chriſtiani verſus ſunt: tu tamen Senecæ adſcribis, Czarncovi. Et ubi Seneca elegiaca habet? Nam illa, qvæ Pythæus edidit ejus nomine, & J. Lipſius Conſolat. ad Helviam præfixit; nondum certum eſt, an Senecæ adjudicari debeant, utut vetera ſint, nec invenuſta.

Lin. 26. O vita fallax.) Czarncovi, debebas appingere nomen Senecæ: ſunt enim duo Jambici, & in Hippolyto ejus leguntur. Qvos tu tamen, ut proſam, hic produxiſti: credo, qvia nullum carminis genus, præter elegiacum, noſti.

Pag.

Pag.7.l.15. Altera ſcabit, altera facit manu.] Qvid, qvæſo facit? Hoc qvidem Sibyllæ folium eſt: imò Czarncovianus ſtupor, qvi *facit* pro *erit* obtruſit nobis.

Lin.21 Dabit divinarum ſcripturarum Doctor fidei, ac debellator erroris,] Qvæ iſta loqvendi forma eſt: *divinarum Scripturarum Doctor fidei?* ta Czarneovius loqveretur, non ille eruditiſſinus & ſanctiſſimus Hipponenſium antiſtes, qvi liter certè, atqve tu adduxiſti, hunc locum Lib. I. de Chriſtiana Doctrina initio C. IV. concepit: *Debet*, inqvit, *igitur divinarum Scripturarum tractator & Doctor, defenſor rectæ fidei, ac debellator erroris & bona docere & mala dedocere: atqve in hoc opere ſermonis conciliare averſos, remiſſos erigere &c.* Duo in te impræſentiarū deſidero Czarncovi: diligentiam & fidem. Nam in deſcribendo hoc loco omiſiſti non tantum aliqvatis negligenter; ſed & perfide qvoq; interpolaſti. Tu ſcribis: *Et hoc opere & ſermone, conciliare adverſos, remiſſos erigere &c,* Atqvi Auguſtinus, itinos produximus; neq; enim vidimus Codicem, qvi aliter haberet. Et profecto qvam optime habet ſenſus. Propoſitio *in* παρέλκει; itaqve *in hoc opere ſermonis*, idem eſt, ac ſi dixiſſet, *hoc opere ſermonis.* Innumera loca proferre poſſem, qvibus & Auguſtinus & alii ſancti Patres ad iſtum morem loqvuti ſunt, ſi hoc agendum eſſet. Jam per *hoc opus ſermonis*, illud ipſum docere & dedocere intelligit, de qvo modo dixerat: id enim totum ſermone præſtatur. Non aliud voluit Auguſtinus. Neqve enim illo tempore inventa

venta erat illa ſangvinans veſtra Theologia; qvæ vivicomburiis & vi armatâ cogit religionem, non ſvadet. Et huc fortaſſis collineaſti correctione tuâ; atqve non *opere ſermonis*, ſed *opere & ſermone* reſcribillare nobis voluiſti. Perpetuo irati tibi ſint ſanctiſſimi viri manes, qvos perqvam profano ac nefario auſu violaſti.

Lin 25. Et præterea ſi veſtra ſidelis admonitio &c.) Nimis vellem, Czarncovi, apud Atlantes poſſes colere; ut ſomniare tandem dediſceres. Hos ſolos enim auctores produnt placidâ omninò & nullis viſis exercitâ qviete frui. Nam qvis unqvam Phantaſus turbidiora, &, ut Tertull. aliqvis loqveretur, parum colata cuiqvam ſomnia attulit, qvàm tu hic nobis? Scribis enim: *Si veſtra admonitio illa eſſe debet &c. qvomodo hæc admonitio* (arrige aures Pamphile) *ex Scripturis petita veſtræ vobisqve conſonabit?* Qvid ex his verbis cogi poſſit, non video: licet vel exqviſitiſſima tormenta admoveantur. Si hariolari liceat, videris hoc voluiſſe: Admonitio veſtra fidelis dici non poteſt, Cur? qvia non reſpondet ſacris literis, qvæ illud fidele vocant, qvod verum eſt: qvum contra admonitio veſtra fallat ubiqve & in errorem impellat. Si hoc voluiſti, Czarncovi, certè tota hæc periodus longè aliter tibi ordinanda conſtituendaqve fuit. Et fortaſſis in iſtum modum; ne qvid officii in amico deſideres, qvod tamen ita exeqvar, ut verba tua, qvoad fieri poterit, ſalvô Grammaticorum jure, retineam. Nam omnia velle immutare, hoc eſſet nimis ingenioſum eſſe in alieno libro. Qvare in iſtum, ut dixi,

mo-

dum ſcribere poteras: *Et prætereà, ſi admoni- fidelis illa debet eſſe, cui meritò fides adhiberi eſt, ſive, qvæ nunqvam fallit; ita enim D. Pau- : qvamobrem etiam veritatis nomine ſignifi- tur: qvomodo igitur talis admonitio ex ſcriptu- petita veſtra vobisqve conſonabit?* Hæc tole- ri utcunqve poterant: ac tu nec rectè ſentire zarncovi; nec qvod ſentis, explicate eloqvi di- ciſti. Profectò me tui miſeret.

Pag. 8. l. 6. Aut tàm infirmi ſunt & vacillan- s.) Voluiſti ſcribere, *An tam infirmi ſunt* &c. am qvò ſenſu illa altera particula hic ſibi lo- im invenire poſſit, nondum diſpicio.

Lin. 13. Suesve lupoſve leones.) Imperfecta ratio eſt. Neqve enim Germanicè diceres: Entweder zu Säue/ oder Wölffe/ Löwen/ ſed otiùs, zu Säue/ oder Wölffe oder Löwen. Vi- es itaqvè addi debuiſſe dictioni ultimæ particu- am *ve*, ſicut cæteris, qvum ſine eâ plenus ſenſus ſſe non poſſet. Atqvi tu metuebas, ne ſi adde- es, pulcherrimus & plane Apollinaris verſus contaminaretur? Tuta timuiſti, Czarncovi, Hâc nimi ratione tibi reddidiſſes ſimilem. Nonne enim tu verè es ὑπέξμετρ@? Scilicet in ſolœci- ſmis nobis admetiendis.

Pag. 9 l. 18. Exulatus.) An in exilium actus? àt qvis unqvam ita uſus eſt hoc verbo? Si *exilia- tus* ſcripſiſſes, tolerarem: Ut qvi ſciam & Sige- bertum Gemblacenſem, & alios illius ævi ſcri- ptores eò uſos. Qvamvis in claſſicorum nume- rum non veniant: & verbum hoc ipſum latinum non ſit.

P. 10. l. 7. Fallacium.) Pelopi Jupiter eburneum humerum pro carneo ſubſtituit: tu Catullo novum pedem, Czarncovi. Nam qvum ille in tertiâ regione Choriambum poſuerit, dixeritqve. *Nec facta impia fallacum hominum &c.* tu ſtrophum repoſuiſti ſcribens. *Nec facta impia fallacium hominum &c.* Nimis ingenioſi eſtis Romanenſes in effingendis novis generibus carminum. Nam ſicut veſter ille paraſitaſter Schoppius jambicum commentus eſt, qvod bis in fine claudicaret: ita tu Choriambicũ novaſti, Czarncovi. Macti eſte hâc gloria Pompilii Muſarum.

P. 11. l. 11. ἀθεότιν.) Novum vocabulum: nova flexio. Hactenus enim Græcè ἀθεότητα impietatem diximus: nunc Czarncovius ἀθεότιν docet. Hic erit, qvi nobis curva corriget.

P. 14. l. 24. Primi qvi contra indulgentias acuerant lingvas, fuerant Novatiani.) Niſi fallunt Grammatici, rectius *acuerunt* & *fuerunt* ſcripſiſſes, Czarncovi.

P. 18. l. 9, Reaſſumant ergo ſerpentis oculos, ſi hominis diſplicent, & illud qvod eſt notum, lippis ac tonſoribus ipſis vel cæcis appareat.) Si emendate loqvi poſſes; nunqvã *appareat* pro *apparebit* dixiſſes, Czarncovi. Ergone omnes Grammaticorum tibi exciderunt regulæ, poſtqvàm ad monachorum vivere inſtituiſti morem!

P. 19. l. 9. Æcumenicum concilium.) Imo *œcumenicum.* Neqve enim αἰκȣμένη; ſed οἰκȣμένη Græcis orbis, qvà habitatus eſt, dicitur. Dormitaſti Czarncovi.

P. 21 l. 25. Lutricolæ. Sæpius nos ita nominana-

nas,Czarncovi. Et videris tibi ſalſiſſimo convicio nos verberaſſe. Qvamvis neſciam, qvid tandem ſibi velit hoc verbi? Nam *Lutræ* animantes,qvæ & caſtores dici ſolent, huc opinor, non pertinent; ſed nec Lutherus qvoqve noſter. Id enim ſi eſſet, *Luthericolas* potiùs appellaſſes. Neq; enim verſus ſcribebas,ut ad Syncopen,communem illam malorum Poëtarum aram, tibi confugiendum eſſet. Qvod ſi hybridam nobis vocem, pro ſingulari illo ingenii tui lepore, voluiſti exſtruere,noſqve, qvòd omnia unicè *ἐν τῷ λύτρῳ* Domini & Servatoris noſtri JESU CHRISTI ponamus, *Lutricolas* ſalutare,laudem interpretabimur,qvod tu contumeliam putas, Czarncovi.

Lin. 26. Nedum cum recentioribus.) *Nedum* id eſt,non modo; ut & ſuprà p. 49. l. 34. Qvis præter te,ita loqvutus ſit, eqvidem ignoro. Imo & Stevvechius,qvi de particulis iſtiusmodi egregiè ſcripſit.

P. 25. l. 8. Virtutem in ſuos influit.) Influit pro *infundit*,activè: qvod notandum elegantiarum ſtudioſis. Eſt enim planè ſingulare & uſu auctorum nihil tritum.

P. 26. l. 21. Satisfactiones ſuæ.) *Suæ* pro *eorum.* Qvod Priſcianus & Vallenſis Solœciſmum dicerent: at vero ordo Prædicatorum elegantiam putat.

P. 33 l. 17. Hieronymus ad Evandrum Præbyterum.) Non diſputabo tecum, utrum *Evandrum*, an *Evagrium* potiùs ſcribendum: de illo qværo, Czarncovi, utrum *Præſbyter*, an verò *Preſbyter* rectius ſcribatur? Mihi *Preſbyter* uni-

cè rectum videtur: ita enim & Græci ſcribunt, ad qvos originem ſuam hæ, vox defert. Obiter moneo, non ita bene locum Hieronymi, pro adſtruendo Romani Pontificis Principatu, te adduxiſſe. Qvid agitne hoc eâ Epiſtolâ ſanctiſſimus Vir? imo contrarium plane. Recens ſum ab ejus lectione; itaqve probè memini. Videamus tamen. Erant illa tempeſtate, qvi menſarum ac viduarum miniſtros, hoc eſt, Diaconos, æqvandos putabant Preſbyteris. Qvi qvum contra ſentirent, qvàm communis Eccleſiæ uſus obtinebat: Idcircò eos hoc Epiſtolari ad Evagrium libro refellendos & emendandos ſibi Hieronymus cenſuit. Argumentum, qvod contra eos premit, illud eſt. Preſbyteris ſe anteferre, eſt Epiſcopis ſe anteferre, qvippe qvi æqvales inter ſe. Qvum itaqve nefas ſit Diaconum ſe anteferre Epiſcopo; & Preſbytero ſe anteferre erit nefas. Cæterum Epiſcopos ac Preſbyteros aut nihil; aut parum differre, dupliciter probat. Primò auctoritate S. Scripturæ & inſtitutione eorum: qvum ait, non unum olim, ſed plures præfuiſſe uni Eccleſiæ, qvi omnes modo Epiſcopi, modò Preſbyteri appellati: qvod ex Apoſtolicis Actibus, item ex Johannis, Petri & Pauli Epiſtolis firmat. Deinde à jure & poteſtate preſbyterorum, qvibus eadem licebat facere, qvæ Epiſcopum licebat. Sed objiciebant antagoniſtæ: atqvi Romæ obtinet, ut Diaconus non modo æqviparetur Preſbytero, ſed qvodammodo præferatur, ad teſtimonium enim Diaconi ordinatur ibi Preſbyter. Reſpondet Hieronymus: atqvi Romanæ Eccleſiæ non altera

ra ſive alià ratio eſt, qvàm cæterarum Chriſtiani orbis; itaqve malè ab iis divertit. Porro ſi agendum auctoritatibus: major eſt plurium, qvàm unius auctoritas:Itaq; ut maximè Romæ Diaconi æqviparentur Preſbyteris; tamen non ſeqvitur, illud ubivis faciendum. Neqve enim Roma tantum, ſed omnes barbaræ etiam nationes Chriſtum adorant. Qvum itaq; æqvales ſint inter ſe, una cæteris præjudicio eſſe non poteſt:licet æqvè amplæ non ſint ac locupletes. Qvemadmodum & Epiſcopi non tàm divitiarum potentiâ, qvàm ſacerdotio æſtimantur, ut qvi unius meriti omnes ſint, tanqvam Apoſtolorum ſucceſſores. Sed cur non ipſa eruditiſſimi pariter & ſanctiſſimi Patris verba apponimus, ut qvivis videat, rem ipſam nos dixiſſe? Ea ita habent: *Qvid facit*, inqvit, *excepta ordinatione Epiſcopus, qvod Preſbyter non faciat? Nec altera Romanæ Urbis Eccleſia, altera totius Orbis exiſtimanda eſt. Et Galliæ & Britanniæ, & Africa & Perſis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, unum Chriſtum adorant: unam obſervant regulam veritatis. Si auctoritas qværitur, orbis major eſt urbe. Ubicunq; fuerit Epiſcopus ſive Romæ ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis: ejusdem meriti, ejusdem eſt & ſacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt &c.* Tantum abeſt, ut hoc in loco Hieronymus ullam prærogativam Epiſcopo ſive Papæ Romano tribuat: ut eidem vel Eugubii, incelebris in Italiâ

oppidi, antiſtitem æqvet. Qvod ſi ex eô de cæteris, qvæ ex Sanctorum Patrum monimentis allegaſti, conjecturã facere liceat, næ tu parum prorſus contra nos profeciſti, Czarncovi. Neqve enim dubium mihi eſt, facile demonſtrari poſſe, ea univerſa non magis in nos obvertere cornua, qvam illa Hieronymi verba, qvæ modò excuſſimus. Sed in hanc curam alii incumbent melius, ne nos ſupra Grammatici penulam voluiſſe videremur ſapere. Qvibus jam tunc petenda venia eſt, qvòd extra oleas nonnihil ſimul evagati. Qvod tamen in tuam gratiam, Czarncovi, æqvi Lectores facilè nobis condonabunt.

P. 33. l. 27. *Aut ſaltem noſſe debueras.*) Imò *debueris*, Czarncovi.

Lin. 28. Qvi Moyſi cathedram.) Cur à *Moyſes* patrio caſu *Moyſi*, & hic & pag. 38. lin. 1. dicas: qvum alibi pag 37. *Moyſi* in Dativo: & pag. 38. *Moyſen* in Accuſativo dixeris, ego non poſſum diſpicere. Videris qvid Grammaticis reſpondeas.

P. 34. l. 3. *Vide igitur tuum ἀρχέτυπ⊗ Lutherum.*) Ergone τύπ⊗, τύπε⊗, Czarncovi, & τύπ⊗, τύπον eadem tibi ſunt? ut indifferenter & τὸ ἀρχέτυπ⊗ poſſis dicere, & τὸν ἀρχέτυπον? Hactenus aliter obtinuit. Et ſunt, qvi pro certo affirment, Priſcianum non tralatitium τύπ⊗ in iſtô ſuô ἀρχέτυπ⊗ perpeſſum eſſe.

P. 36. l. 9. *Talpa terra ſupercapta.*) Qvid ſit *terra ſuper capi*, ſolus Czarncovius dixerit: credo enim

Interpretari alium poteſſe neminem.

Qvocir-

Qvocirca ſibi & &c. reſpondemus.)Sibi reſpondemus eâdem elegantiâ dictum, qva p. 26. *qvodſatis ſatisfactiones ſuæ non ſunt remuneratæ in ipſis ſanctis* &c. de qva ſupra.

P.38.l.29. His addendus eſt Ozias Rex, qvam gravem meruerat offenſam DEI.] Qvænam hæc ſtribligo loqvendi? qvæ diſſolutæ ſcopæ, Czarncovi, ſunt? Nonne tota hæc periodus manca ac mutila eſt, & ordine ac ſenſu prorſus deſtituta? Apollinis dictio intricatiora dare non poſſit.

P.41.l.17. Hæc breviter, ut non libros Patrum deſcribamus.)Ut non pro *ne* vel *ut ne*, qvis dixit, Czarncovi?

Pag.43.l.5. At inſtant.qvodDeus remittat culpam & non pœnam temporalem, eſt blaſphemare, &c.) Qvæ hæc loqvendi ratio, Czarncovi: *inſtant, qvodDEUS remittat culpam&c.eſt blaſphemare;* qvis ſenſus? Hoc voluiſti: *At inſtant: dicere, qvod DEUS remittat culpam &c. eſt blaſphemare &c.* profectoCzarncovi,

--- nec ſapis pueri inſtar
Bimuli, tremulâ patris dormientis in ulnâ.

Lin.34. Baptizmatis.) Sarmatici aliqvod ſonare videtur tuum *Baptizma*, Latine aut Græce non ſonat.

P.46 l.18. Commendacio.) Imo *Commendatio* debebas ſcribere. Nam iſtiusmodi verbalia à ſupinis formari, & pueri ſciunt.

P.45. l.4. Latiferus.) Cur non *Letifer* dixiſti Czarncovi? Ita enim *letifer annus, letifer arcus* à Virgilio dicitur. Et ne hoc poëticum putes, apud Columellam legas: *Letifer morbus huic generi.*

Ergone, Czarncovi, non pictoribus ac Poëtis tantùm, ut ille ait; ſed &

- - - *Prioribus atqve Levitis*

Qvidlibet audendi ſemper fuit æqva poteſtas?

P. 48. l. 23. Utilitas ſunt animarum in purgatorio degentium, reſpectu qvorum Vicarius Chriſti habet poteſtatem.) Anne hoc congruè dictum, Czarncovi, *animarum, qvorum reſpectu?* profectò nullus purgatorius ignis ſatis fuerit expurgandis ſolœciſmis, qvibus ubiqve ſordet hic tuus liber.

P. 56. l. 2. Lib. 1 Periarchon.) Qvid hoc vel vocis, vel libri eſt, Czarncovi? Sed περὶ ἀρχῶν ſcripſiſſes, opinor, ſi Origenes eſſe potius, qvàm Czarncovius voluiſſes.

P. 60. l. 6. Secunda. Qvicqvid.) Qvæ *ſecunda* Czarncovi? neqve enim in præcedentibus qvidpiam reperitur, qvo id referri poſſit, &c. Totus ἀναισθησία es & merum frigus.

Lin. 16. Qvoad ſecundum probatur; dicitur in præcepto.) Fanatici iſte ſermo eſt & νυμφολήπτȣ, nõ qvi rectâ ratione præditus eſt. Qvo enim modo iſta cohærent inter ſe? qvem ſenſum habent?

Pag. 65. Cogitanti mihi) De mirâ Grammaticâ hujus loci ſupra aliqvid nobis dictum eſt. Illud hoc loci adhuc monendum, linea *3. qvod* pro *qvid* inuſitata loqvendi formâ poſitum eſſe.

P. 66. l. 24. *Cloacari farmaca.*) Heus Czarncovi! qvid *farmaca* eſt? muliebri genere? An ubi conficiuntur φάρμακα, id eſt medicamenta? Atqvi hac ratione *Pharmaca* exarandum, non *Farmaca*. Deinde ecqvis Græcorum φαρμα-

κῆν

χειν dixit, unde tu iſtam Latinam Farmacam potuiſſes exſtruere? Dii Deæqve! qvanta ruditas eſt hujus Patris? qvanta ignorantia?

P. 69. l. 3. *Ego dico, qvòd ubi ſemel admonitio fidelis pejerarit, ei credi poſtea non convenit.*) Imò *conveniat* conveniebat potius; niſi tu Theologicè tantum, non autem & Grammaticè; imò niſi tu ſicut Theologice, ita & Grammaticè ſapere ſtuduiſſes.

P. 71. l. 10: *Hic perpendat Lector Catholicus, qvomodo Fidelis Admonitio in hoc primo capite, multum laborabat, apparere veridica, & mendaciſſima eſt, ideò fugiat magis qvàm viperas* &c. Qvid hic dicas, cum ignariſſimis ſcio. Et tu profectò ipſe, credo, id neſcis. Crepitaculum es, Czarncovi: ſonas aliqvid, ſed ſine mente.

P. 72. l. 10. *Doctrina cupidus.*) Priſcianus putabat ſcribendum *doctrinæ cupidus*: neqve enim aliter ferre latinæ lingvæ indolem.

P. 74. l. 28. *Sed ſcito, qvod grandem nunc Abluis Æthiopem qvid fruſtra?*) Qvalis hic ſermo eſt Czarncovi: *Scito, qvod qvid fruſtra abluis Æthiopem?* profectò Æthiope eſt deformior.

P. 75. l. 1. *Nunqvam tam multa incaute loqvuti eſſent.*) Si *incautè loqvi*, barbare, inconcinnè, ineptè, inconditè loqvi eſt: næ ea propria tua laus, Czarncovi, & uni tibi debita: adeo ubiq; hic annus tuus hac lingva loqvitur. Cæterum ſi caute loqvi, conſiderate, prudenter & accuratè loqvi eſt: nō eſt, qvod caudā jactare velis. In toto enim libro tuo nec vola, nec veſtigium hujus apparet. Ubiqve Stoicorum videris Deus: & nec cor ha-

 bere,

bere, nec caput. Qvum tu tamen alibi Noſtrates *Inſipidos; in loqvutione præcipites; loqvaces, lingvaces; diſertos ad vina; inopes ſapientiæ: & qvæ alia hujus farinæ ſunt*, appellare non timuiſti. *Eſt proprium ſtultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci ſuorum;* Tullius dixit: Ego & hoc qvoqve: eſt petulantiſſimæ malitiæ proprium culpare in aliis vitia, qvæ non habent.

Lin. 15. Cum Divo certare vero.) Ipſene, Czarncovi, iſtud Homericum latine vertiſti? an verſum ab aliis pro more interpolaſti? Solens enim rectè concepta ab aliis in pejus demutas. Certè, qvi vel primo limine ſalutaverit novem illas Mnemoſynes filias, primam in *vero* producendam clamitet, qvam tu correptè poſuiſti. Ergone perpetuam tibi hanc legem voluiſti dicere, *Contrarius eſto?*

P. 77. l. 11. Dum diſrupta vipera infauſtam atheiſmorum ſobolem ſimul erupit.) Poſſevinus, unde tu hæc omnia plagiariâ manu ſublegiſti, ſcripſit: *Diſruptâ viperâ infauſta atheiſmorum ſoboles ſimul erupit.* Qvid tu refinxiſti Czarncovi? an ut tegeres furtum abactores imitatus ſcilicet, qvi jumentorũ notas qvibusdã ſuccis denigrare ſoliti, ne proderentur? At hoccine ſatis caute, Czarncovi? Certè γραμματικῶν παῖδες hic obeliſcũ poſuêre & neſcio, qvid ὑποσόλοικον annotarunt. De illis tu videris. Ad me qvod eſt, facile tibi hujus gratiam facio. Enimverò meminens ſum verbo *erumpere* pro ἀναπέμπειν ἐνεργητικῶς, non modò Lucretium, Virgilium, Terentium; ſed & ipſum Ciceronem ac Cæſarem uſos eſſe. Si itaqve

qve hoc conſilium fuit, laudo eqvidem: ſin ſtupor & imperitia exſcriptoris, qvod plurimis videtur, excitandus veternus iſte fuerat Pædagogi virgâ.

P. 81. l. 25. Eamqve non vindicamur.) Nil intentatum Czarncovi; nil linqvis inauſum. Nam & verbum *vindicare* in deponentis uſurpari poſſe morem primus omnium oſtendiſti. Laudo fidentiam tuam, magne Heros: qva nec eruditiſſimo Romanorum Varroni, nec diſertiſſimo Tullio qvicqvam voluiſti concedere. Nam ſi alteri eorum *puniuntur* pro *puniunt*: alteri *ſacrificantur* pro *ſacrificant*, dicere licuit, ut Nonius obſervat: cur non *vindicamur* pro *vindicamus* Czarncovius dicat? Idem Cajo qvod Titio, ut in veteri verbo eſt. Qvod profectò tibi plus videtur ſapere, qvàm illud Plinii: *Multum intereſt, qvid à qvoqve fiat.*

Sive locum ſpecto, locus eſt inanimabilis.) Verſus hic unâ ſyllaba productior eſt, qvam par erat. Ovidius ſcripſit: *Locus eſt inamabilis*: & ita debebas Czarncovi, ſi ſaperes. Sed nihil mirum eſt hominem longum longos verſus dare. τῦ πατρὸς ἐςὶ τὸ παιδίον.

Hæc ſunt, Czarncovi, qvæ in Grammaticâ tuî anni Jubilæi inter legendum raptim notare libuit. Nam recenſere ſingulatim peccata libri, qvorũ tot pene numerare fas eſt, qvot verborũ, moleſtiſſimi laboris fuerit: & nihil aliud, qvam ſeptimam ærumnam Herculis aggreddi, hoc eſt, Eleorum regis ſtabulum expurgare. Deinde melioribus ſtudiis noſtra debebatur opera, qvam alo

alio diſtrahi næ illa indignè ferebant. Et abſtinuiſſem prorſus manum, niſi Platonica Doctrina vellicaſſet aurem, qvæ noſtri partem aliam amicis tranſcribit. Is autem MEISNERUS mihi eſt, qvi jubere poſſit, qvod rogat. Qvocirca pingviora, ut ſic dicam, & ea tantum hic vides, qvæ nec in tironibus literarum tolerari ſolent. Alia innumera omiſi: qvæ & ipſa ſemibarbara, & illatina: certè parùm aptè atqve prudenter poſita ac collocata. Etenim ſubibat, nimiam verborum curam ſperni ferè à rerum tractatoribus; atqve ſermonis elegantias ab oratoribus rectius aut Sophiſtis, qvàm à Theologis exigi: *qvi utilia magis qvàm plauſibilia ſectantur: neqve id qværunt, ut in ipſis inania ſeculorum ornamenta; ſed ut ſalubria rerum emolumenta laudentur*, ut Salvianus rectè monuit, meritiſſimo jure *Epiſcoporum magiſter* Gennadio appellatus. Ego verò in totâ ſcriptione me ita tractavi, ut nihil qvæſiiſſe viderer præter ludum & jocum. Neqve enim eorum mihi placet ratio, qvi Heraclitum in vitâ imitari malunt, qvàm Democritum: & qvibus fletum aut bilem errores hominum potius, qvàm riſum movent. In ſtomachoſulos hujusmodi ſi incidiſſes, CZARNCOVI, qvantæ intemperiæ detonuiſſent in tuum caput? Nihil mentiar: vel Penthei ac Lycurgi fabulis dediſſes fidem. Sed acres iſti & qvibus, ut Achilli olim, cor citiùs *turgeſcit triſtibus iris*, planè neſciunt, penes ridentes etiam eſſe veritatis profeſſionem:

- - - Ridentem dicere verum,
Qvid vetat?

Hoc

Hoc ſi & ego nunc ſtudui: qvid eſt, qvod fingere velis & indignari? Namqve detrahere tibi, ne cogitavi qvidem, Czarncovi. Sicut adulari neſcio, ita nec inſidiari alterius famæ unqvam didici. Aliter natus, aliter edoctus ſum. Si qvid tamen acciderit, de qvo tua periclitetur exiſtimatio, à me non eſt. Ipſe illud intrîſti tibi: ipſe hanc fortunam architectatus es. Salva tibi omnia manerent & integra, ſi illam ſcribendi libidinem tibi verba dare paſſus non eſſes. Sed nimium dulce eſt legi publicè, ac demonſtrari digito. Et decepit plures qvoqve alios improba hæc Siren, qvæ cum aliqvem evertere conſtituit, primò omnium ſui obliviſci facit. Nam qvi neſcit menſuram virium; præceps ruit, qvo vanæ mentis impellit impetus: & clarus meditatus fieri, prius-qvam conſeqvutus eſt eas opes, qvibus gloria paratur & nomen. Nempe incipit ſcribere, qvum nondum loqvi didicerit. Piſoni ſimilis, qvi qvum oris hæſitantiâ & lingvæ laboraret balbutie, tacere tamen neſciebat. Qvô fit, ut qvi intra ſe, procul dedecore, latere poterat, publice omnibus ſe deridendum propinet. Qvapropter caute agendum, qvi famæ ſtudet ac nomini: atqve videndum ſedulo, non qvàm cito verſetur in publico, ſed qvam bene. Utinam id penſi habuiſſes, Czarncovi! certè non potuiſſes rectiùs honori tuo conſulere. Nunc qvum id habuiſti inſuper, & qvamvis ignarus pilæ (ut ſic dicam) trochiq;, tamen noluiſti qvieſcere, meritò te eò adduxit temeritas,

Ut ſpiſſæ riſum tollant impune coronæ.

Græ-

Græci dicunt: ἁλιεὺς πληγεὶς νοῦν οἴσει. Tu cogitabis, Czarncovi, & in poſterum ſapies. Neq; enim ſemper Saturnalia ſunt. Vale.

Horatius ad Julium Florum:

Ridentur, mala qvi componunt carmina: verum
Gaudent ſcribentes, & ſe venerantur, & ultro,
Si taceas, laudant qvicqvid ſcripſere beati.

CXXX.

Georgio Thurzoni Comiti de *Bethlemfalvâ, Regni Hungarici Pro-Regi & Palatino.*

Illuſtris & Magnifice Domine Comes!

QVanto gaudio ac voluptate nos tuæ affecere literæ, ipſa rei magnitudo, & imbecillitas ſtyli negat. Nam non ſolùm conteſtatæ nobis ſunt ſingularem illum atqve egregium affectum tuum, qvo Academiam noſtram hactenus, fere ſine exemplo proſeqvutus es; ſed & de fervido illo purioris & orthodoxæ religionis conſervandæ propagandæqve ſtudio nos commonefecére. Macte hoc animo, Perilluſtris Domine, macte! Et qvia omnis regnorum felicitas ſecuritasqve in ſapientiâ & pietate poſita eſt, perge porrò tum pii & ſapientis laudem propriam facere, tum ſapientes & pios & cumprimis nutrices eorum, Academias, ac in iis præcipuè hanc noſtram, qvæ ſane unice te alumno jactitat, colere atq; amare. Etſi vero nihil magis nobis in votis fuit, qvàm ut Ill. M. V. petitioni abunde poſſimus ſatisfacere, & illud hominis ſacerrimi & in

Reip.

Reip. Chriſtianæ exitium juratiſſimi peſtilentiſſimum ſcriptum reſpondere, & qvod in eo egregie calumniarum ac mendaciorum texuit textum gladio exſcindere veritatis. Videmus enim id è re Eccleſiæ eſſe, & ſi impunè illud ſcriptum diutiùs in publico verſaretur, fore, ut multorum animi, ſi non in falſæ opinionis ac hæreticæ pravitatis laqveos inducantur, turbentur ſaltem; tamen, qvia Domini Theologi noſtri, qvibus hic propriè debetur labor, aliis iisq; arduiſſimis diſtenti negotiis, ad hunc laborem ſtatim ſeſe accingere, & illius libri refutationem inſtituere omnino non potuerunt. Dabimus tamen operam, ut qvamprimum ſeſe otiolum aliqvod aſpiret rurſus, & tuæ Ill. M, atqve adeo Eccleſiæ Chriſtianæ ne deſimus, & hoc qvidqvid tibi illiqve debitum, & bonâ fide, & cum fœnore exſolvamus. Interim non ægre feret Magnificentia tua hanc ſive advocationem ſive moram: Et imposterum qvoqve ſibi & nos & ſtudia noſtra qvam commendatiſſima habebit. In cujus gratiæ ſpem parati & facere omnia & pati. Qvod ſupereſt, ſummum ac præpotentem illum Deum rogamus ac veneramur, ut tum Hungariæ veſtræ, cujus tu eximium præſidium ac decus es, imo univerſæ Germaniæ qvietem ac pacem reddere, volaticos illos bellorum impetus conſiſtere, dirimere, imo tollere penitus & pacem qvietemqve ſtabilem reducere velit, Ante omnia vero, ut curæ ſibi habeat rem Eccleſiæ ſuæ, eamq; contra omnes ejus hoſtes, tum qvi gladiis & apertâ vi in illam pugnant, tùm qvi tacitis dolorũ furtis impetunt, &

in

in piorum animas potius librorum toxicis, qvàm telorum tormentis in corpora ſæviunt, tutam, ſalvam ac incorruptam aſſerat; te tandem florentem vigentemqve qvàm diutiſſimè ſervet. Qvi ſanè ut Patriæ dulce præſidium ac decus es, ita commune piorum doctorumqve delicium ac Amor. Anno 1620.

Nomine Academiæ.

CXXXI.
Georgio Thurzoni,
Regni Hungarici Palatino.

QVò magis Johannes Hertvvicius vitam ſuam nobis probavit hactenus, ex qvò Witteber-gam noſtram Exilii ſui nidum habuit, eò indoluimus magis, Virum eâ pietate animi, eâ ſacrarum literarum eruditione (ut nihil nunc de ſvaviſſimâ morum Indole, cæteriſq; qvæ in eo emicant dotes, commemoremus) adeò jacere fortunæ iniqvitate, adeò redactum eſſe ad incitas, ut ferè infra ſpem melioris fati poſitus videretur. Nam qvum germanicè non norit, & præter latinam, cujus inter eruditos præcipuus uſus eſt, ſolam patriam calleat, qvis aditus ei in his terris vel ad ſcholaſticum vel ſacerdotalè munus, qvicqvid velimus ejus neceſſitati ſuccurrere, poſſit patere? Ingreſſus tamen eſt aliqvam ſpem emergendi ex eâ, qvâ premitur, tempeſtate, poſteaqvam edoctus amicorum literis, id agere Ill. T. Magnif. ut ſibi concionatorem aulicum, qvi digne ſuſtinere eas partes poſſit, inveniat: atq; eandem ab ipſo, qvum incidiſſet mentio, non uſq; adeò abhorrere. De qvo qvum nobis expoſuiſſet, rati ſumus rem

rem dignam noſtrâ pietate facturos, ſi hominem digniſſimum meliore ſorte T. Ill. M. qvâ fide ac benevolentia par erat, commendaremus. Idqve eò alacriùs, qvod non obtrudere qvendam ignotum T.M. hominem; ſed eam in coucepta de optimo Viro ſententia ac voluntate confirmare potius videremur. Qvocirca vox atqve oratio ejus Academiæ, qvam magnificiſti ſemper, Domine, qvam unam præ cæteris delegiſti, cui ſpem juventutis tuæ crederes, valere aliqvid apud te poteſt, à T.I.M. officioſe, ac qvam par eſt, demiſſe contendimus ac rogamus, ut Herzvvigium noſtrum ſibi commendatum habeat, & qvam de eo concepit opinionem honeſtiſſimam, non modò ſervet conſtanter, ſed & benigne augeat atq; amplificet. Porro certo obtinens, ejusmodi Virum eſſe Herzvvigium, in qvo doctiſſimi eruditionem, probatiſſimi qviq; innocentiam vitæ laudare poſſint. Cæterum tam facundum atqve diſertum, ut ſe ipſum qvodammodo tranſire ac ſuperare videatur. Qvibus accedunt mores tertiſſimi & ad qvemvis vitæ colorem exacti ac temperati: qvibus id conſeqvutus eſt, ut & cum æqvalibus vivere commode, & cum illuſtribus perſonis citra tædium, ut elevemus maxime rem, verſari poſſit. Non verba damus, Illuſtris Domine, non miſeriam hominis, ſed virtutem, ſed honeſtatem, ſed qvod maximũ eſt, & rei caput, religionem & pietatem tam facundam qvam eruditam commendamus. Qvæ omnia cum qvæſieris hactenus, qvum concionatorem qvæſiſti tibi, qvid reſtat, qvàm ut ea nunc in Herzvvigio noſtro

ſtro & amplectaris repoſita, & gratuleris tibi inventa? Nos dabimus operam, ut præclara voluntate tuâ atqve judicio magis magisqve digni videamur.

Nomine Senatus Academici.

CXXXII.

Henningio Broſenio
S. P.

OFficium ſcholaſticum tibi commendatum gratulor, mi Henningi, Deumq; precor, ut tuo & juventutis bono. Qvod erit certe, ſi cum pietate in teneros animos fideliter inſeveris bonas literas & earum amorem. Qvidni & hunc etiam? vides ingenia hodierna? aut nihil, aut parum certe calent ab hoc igne. Igitur in illis excitandus & poſteà monitorum, ut ſic dicam, flabris animandus. O qvàm multi in ſcholis peccant hodie (qvanqvam hoc ipſo magni & unicè Doctores audire volunt) dum imperitam Juventutem à Grammaticis ſtatim ad *μετὰ τὰ Φυσικὰ*, imò ad Theologica traducunt. Qvo fit, ut pauci hodie ſint, qvi latine ſciant; qvi Græcè, illi verò multò pauciſſimi. Nam ſi in Academiis illa conſeqvi vellent, profectò ὕστερον πρότερον. Tu certe cavebis, & talis eris in tuos, qvales fuiſſe voveas, qvibus adoleſcentiam tuam credidiſti. Sed invidia inde tibi timenda, imò jam parata eſt. Gratulari debes. Ego enim miſerum puto, cui nemo invidet. Legiſtine illud Plautinum:

Qvi invident, egent, illi, qvibus invidetur, rem habent.

De

De teſtimonio verò qvàm voluiſſem? Sed in iſtâ anguſtiâ temporis,& inter tot negotia, qvæ me, dum iſta ſcribo, ſatis exercitum habent, fieri non potuit. Faxim tamen, ut primâ occaſione (modò tu præbeas, aut literis moneas) ad te perferatur & unà verſus. De amore meo nihil dubites, qvi purus firmusqve in te erit, qvamdiu in te illius cauſæ. Vale.

CXXXIII.

Seqvuntur literæ commendatitiæ, ſeu

TESTIMONIA
Academica.

TESTIMONIUM

Caſp. Abrah. à Schönberg.

Rector Academ. Wittenb.
Lectori benevolo
cum prolixa honoris debiti delatione
S. P. D.

QVamvis latere virtus vix poſſit, & nunqvam non exerat radios, in qvibus ſe agnoſcendam æſtimandamqve præbeat; minimè tamen potuimus facere, qvin Nobiliſſimum Juvenem *Caſparem Abrahamum à Schönberg*, Eqvitem Miſnicum, eâ editum Gente, qvæ antiqviſſima & ſplendidiſſima illuſtria decora per univerſam prope Europam jam olim diſtribuit; at verò in Galliis in ipſum Ducale enixa faſtigium eſt, traderemus tibi, Benevole Lector, ac commendaremus. Vixit in contubernio Clariſſimi Viri Auguſti Buchneri, P.P. & Academiæ Senioris, in annum ipſum tertium: & illi non tantum, ſed cæteris etiam Profeſſoribus, ita & indolem &

mores, & ſtudia ſua approbavit, ut ſingulari affe-ctu has ejus dotes eximias complectendas nobis omnibus exiſtimaremus. Nam qvid ſuſcepit unqvam molitusve eſt, qvod alienum nobilitate generis, qvo ortus erat? Qvid omni in vitæ actu ac conſvetudine communi prætulit aliud, qvam qvod & cuſtodiret dignitatem ordinis, & civiliſſimæ comitatis laudem facilè auferret? Cumqve non ignoraret, ſe Reipublicæ & miniſteriis principum natum eſſe, in iis ſtudiis ſemper occupavit ingenium ſtrenue, qvæ eò ducerent, aditumqve ac viam ſternerent ac emunirent. Qvare ad facultatem dicendi, in qva magna vis poſita eſt, ſedulò præparavit inſtruxitqve animum; & poſt civilis prudentiæ diſciplinas (qvas diligentiſſime habuit, teſtatus profectus ſuos in illis etiam experimentis publicis) Jurisprudentiæ qvoqve ita attendit, ut eum facere par erat, qvi minime omnium ignoraret, non optime verſaturũ in Republica atqve negotiis, qvi eâ deſtitueretur. Qvi æſtimatis amatisqve hæc talia, complectimini, qvæſo, *Schonbergium*, & generoſam hanc ſtirpem fovete ac colite, ut qvos promittit fructus egregios, in ſinum patriæ olim ubertim effundat. Perſcriptum ſignatumqve Wittenbergæ XV. Kalendas Junias, Anno gratiæ cIↄ Iↄc LX.

CXXXIV.

Teſtimonium Michelmanni.

Cum Ornatiſſimus Juvenis Martinus Michelmannus, Sangerhuſa Thuringius, ex noſtra in Lipſienſem Academiam, alumnam ſuam veterem, ſtudiorum ſublimiorum informatricem, eſſet

ſet diſceſſurus, qvò poſt impetratam jam olim in Philoſophiâ Lauream, alteram qvoqvè ſupremam conſeqveretur, à nobis officioſè petiit, ut teſtimonium vitæ apud nos actæ ſibi impertiremur. Ita enim exiſtimabat, fore, ut id cum alibi, tum in hoc ipſo negotio magno uſui eſſe poſſet. Nam qvamvis per ſe virtus ſufficiat, tamen facilius amatores favitoresqve invenit, ſi bonorum qvoqve judicio & teſtimoniis ſe commendet. Nos autem eò lubentius ejus petitioni aſſenſi ſumus, qvod intereſſe humanitatis exiſtimavimus, deeſſe iis minimè, qvi ad nos pertinent, præcipuè ſi virtus eorum atqve doctrina perſpecta nobis & cognita fuit. Nam intervenire pro talibus, non magis illorum videtur juvare commodum, qvàm rectitudinem judicii proprii commendare. Teſtamur itaqve in Academiam noſtram veniſſe hunc Michelmannum anno à Chriſto nato 1628. m. Octobris. Cum itaq; nomen ſuum apud magiſtratum profeſſus, in Academiæ leges juraſſet, id ſemper dedit operam, officii ſui partes ut adimpleret. Et erat præterea ta & natus & educatus, ut ea qvam maximè eligeret & ſeqveretur, qvæ honeſta eſſent, contrà verò ea, qvæ turpitudini obnoxia, aut alias ingenuum hominem ac liberalem minus decere viderentur, qvam maximè fugeret ac deteſtaretur. Qvò cum accederent mores compoſiti ac lenes, viq; ut nihil haberent aſperitatis, ita cum eleganti qvadam gravitate viderentur conjuncti, factum eſt, ut non modò æqvalibus ſuis facile ſe probaret, eosqve amicitiæ ſuæ adjungeret, ſed &

ſuperiores qvoq; h. e. Præceptores & Doctores ſuos benevolos ſibi ac faventes reddidit. Qvibus qvidem eò uſus familiarius, qvo magis ipſos omnis generis obſeqviis demereri ſtudebat. Et erat prætereà is optimus qvisqve in eo diſcendi ardor & incredibile ſtudium, ut certè non poſſent non benè velle ac cupere, qvotqvot hic nobiliſſimas qvasq; diſciplinas & artes profitentur, in qvorum qvidem notitiam ipſe veniſſet. Ac Philoſophicorum qvidem ſtudiorum præclara jam tum Lipſiæ fundamenta jecerat. Qvocirca ea ipſa apud nos non modo eò felicius excoluit perfecitq;, ſed & ſacroſanctarum literarum tractationem iis adjunxit. Nam qvamvis ipſa ſit omnis cœleſtis veritas, & parum indigeat externis opibus, præparat tamen philoſophia animos, & velut ſubigit, ut ad recipiendam divinam illam ſementem magis idonei fiant. In iſto autem utroqve ſtudiorũ genere ſe ita tractabat, ut non tantum domi lectioni ac meditationi aſſiduæ incumbendũ, ſed & publicas lectiones qvoq; freqventandas ſibi exiſtimaret. Et cum prudenter perpenderet, qvantã utilitatem afferat, qvamq; præclare doctrinæ rem juvet diſputandi ratio, cum de propoſitis rebus in partem utramqve eruditè ac modeſtè diſceptatur, id exercitii genus qvàm commendatiſſimum ſibi ſemper habuit. Qvod illæ ipſæ diſputationes, qvas erudite conſcripſit, & publicè habuit, teſtari ſatis, & ejus minime vulgares cùm in Philoſ. tùm in Theol. profectus oſtendere poſſunt atqve probare. Qvæ omnia cum ita ſeſe habent, abs te, Benevole Lector, offi-

officioſe ac peramanter petimus,ut hujus docti, modeſti, ac perpoliti juvenis conatus honeſtiſſimos eâ,qvâ par eſt, benevolentiâ proſeqvi, tuaqve ope ac ſtudio juvare atqve provehere non dedigneris. Qvâ in parte non modo Michelmannum ſummopere tibi devincies, ac obligabis,ſed & de publica re mereberis benè. Ita enim ſtatuere debes, ſe ita comparaſſe hactenus Michelmannum noſtrum, ut patriæ qvondam utilem ac ſalutarem cumprimis operam navare poſſet. Nos viciſſim ſummo ſtudio ac diligentia curabimus, qvæ te videbimus velle ac cupere, ſi iſthanc commendationem noſtrâ plurimi ponderis apud te habuiſſe intellexerimus. Vale.

CXXXV.

TESTIMONIUM

Gottl. Erneſt. à Præk.

RECTOR Academiæ Witt.

Lectori Benevolo

Cum prolixa honoris debiti delatione

S. P. D.

EGregium,ſed alienum tamen eſt, non vili ortu trahere genus, & natum eſſe ex iis, qvi nobilitatis antiqvæ ſplendore clari inclutiqve fuerint: majus ac excellentius eſt, præſtare per ſe egregiis dotibus, cumqve non parum lucis parentibus atq; auctoribus tuis debeas, amplius tamen aut non tenuius certe,vel proximum ſaltem tibimet ipſe, illuſtris virtute, circumdederis lumen. Male tuetur natalium decus, qvi à majorum virtute deſciverit. Qvibus parata initio artibus, iisdem ſervanda qvoqve nobilitas. Se-

cundæ auctoritatis ſidus Luna eſt: qvia non ſibi ipſa, ſicut princeps aſtrorum Sol ſufficit lumen; ſed haurit ab eo, & mutuatur: ſic primo loco excidunt etiam, qvorum laus omnis in ſola origine eſt, & aliunde dependet. Multo ſecus alium tibi, Lector Benevole, Nobiliſſimus juvenis Gottlieb Ernestus à Praeck, Eqves Boruſſus, exhibet: qvi non contentus antiqvitate generis gloriaqve majorum antiſtare aliis, eosdem virtute qvoqve clariſſimisqve artibus vincere ac ſuperare acerrimo & conſtantiſſimo impetu hactenus contendit. Sed lenius ad virtutem ac gloriam cum per civiles artes, non tumultuoſa illa aſperaq; bellorum manſvetioris ductu Genii ſeqvi elegiſſet iter, primum in Academia Jenenſi vacavit ſtudiis, deinde triennio abhinc in noſtram venit, iisq; hactenus inſtitit viis, non qvas terere vulgus, & qvæ ad ſuperficiariam aliqvam & tralatitiam eruditionem ducere ſolent; ſed qvibus erecta & copioſa ingenia ad exqviſitam ſolidamqve doctrinam conſveverunt graſſari. Itaqve Jus civile ita tractavit, ut æqvè diligenter haberet publicum: & in utroqve ita verſatus eſt, ut illam unicam magiſtram vitæ, illum veriſſimum prudentiæ fontem, Hiſtoriam, connecteret ſemper, virtutum, conſiliorum, eventuumqve maximorum exempla, qvæ optimè omnium & efficaciſſime inſtruunt, ſtudioſè atqve ſolerter ſectatus. Qvod eò majore & certiore fructu fecit, qvod diſciplinis philoſophicis ante ſubegiſſet probè ingenium, judiciumqve de rebus ſibi comparâſſet.

Qvip

Qvid nunc de Mathematicis artibus, & illis imrimis, qvæ loca munire, caſtra diſponere, orinare propugnacula addocent, omnesqve & mpugnandi & defendendi rationes ac vias explicant, memorem? in qvibus ita poſuit operam, at ſcientiam earum egregiam ſibi atqve inſignem paraverit. Nondum de cætera vitâ ejus & moribus diximus; qvibus nihil integrius, honeſtius, innocentius, imò ſanctius fuit. Enimverò qvid ille, qvæſo, licenter & incuſtoditè? Qvid ille laſcive aut petulanter unqvam egit? Caſtus, ſobrius, intentus perpetuò, & inter juveniles annos qvandam ſenilem moderationem ac gravitatem exhibens. Qvod propoſitum ejus & præſtantiſſimæ ac ſingulares dotes, qvem virum illum, qvod Reip. decus præſidiumqve promittere habent? Age itaqve, LECTOR BENEVOLE, & PRÆCKIUM noſtrum favore omni ſtudioqve complectere: itaqve exiſtima, qvicqvid tribueris ejus virtutibus, id totum utilitatibus publicis egregioqve communi ceſſurũ eſſe. Optime vale, BENEVOLE LECTOR, & age feliciter. Perſcriptum ſignatumqve Wittenbergæ prid. Kal. Majas Anno recuperatæ gratiæ cIↄ Iↄc LVI.

CXXXVI.

Testimonium
Petri Pauli Hagetii.

RECTOR Academ. Wittebergenſis
Lectori Benevolo
cum prolixa honoris debiti delatione
S. P. D.

Reverendus & doctus Vir Petrus Paulus Hagetius cum miſſus ſuperioribus menſibus huc eſſet, ut in orthodoxâ noſtra religione (anteà enim Pontificiæ fuit addictus,) paulo ſolidius informaretur, Clariſſimo Viro M. Jacobo Reichmanno, facultatis Philoſophicæ Adjuncto, traditus fuit & commendatus, ut ductu ejus & diſciplina veritatis doctrinam aliqvanto plenius uberiusqve hauriret atqve addiſceret. Sub qvo ita profecit hactenus, ut fundamenta fidei ſatis pulchrè & probe videatur jeciſſe. Id enim teſtatus eſt non ita pridem oratione habita publicè, qva Pontificiorum craſſos illos & infelices errores deteſtatus haud tantum ſeriò eſt, ſed egregiè qvoqve redarguit & refutavit. Qvi cum hinc diſceſſurus rurſus eſſet, petiit à nobis, ut teſtimonium actæ hic vitæ ſibi impertiremur, ſeqve benevolentiæ noſtræ ac fidei commendaremus. Qvæ ejus petitio cum juſtiſſima eſſet, libenter ei tribuimus locum. Et qvia modeſte hactenus, ſobrie & ſine ullà nota aut probro hic egit vitam, idcirco abs te, Benevole Lector, amanter & officioſè petimus, ut Hagetium noſtrum omni favore complecti velis, & dare operam, ut ſecutum meliora melius etiam fatum excipiat. Qvamvis

enim

nim vera & non fucata pietas triſtia aſperaqve ihil detrectet, & duris adeo gaudeat probari: imen fovenda illa & amplectenda benignè eſt, um id in noſtra eſt manu, nec committendum, t noſtrâ culpâ habeat male. Qvicqvid benecii in Hagetium conferes, bene & recte erit coltum. Neqve id non agnoſcet ipſe gratiſſimo nimo, ſtudebitqve referre, qvam poterit, graam, qvæqve ſuarum opum haud eſſe intelliget, elegabit Deo, ut ſuppleat, & pro qvâ pollet, innita ſuâ potentia ampliſſimè rependat. Ad nos vod eſt, elaborabimus in illud ſedulo, ut tibi, enevole Lector, ſtudia atq; officia noſtra ſemer probemus. Ita feliciter vale & ſoſpes age. erſcriptum ſignatumqve Wittenbergæ.

CXXXVII.

TESTIMONIUM

Johannis Haueri Pictoris.

RECTOR Academ. Wittenbergenſis
Lectori Benevolo
cum debiti honoris delatione
S. P.

IN iis artibus, qvæ imitatione conſtant, excellentiſſima omnium Poëſis eſt & proxima huic Pictura. Cognata priori adeò, ut altera alterius nomine appellari meruerit; illa qvidem pictura oqvens, iſta viciſſim Poëſis muta. Qvamtum Valerius Maximus, non contemnendus auctor alias, ſordidum artificium vocat: prope abeſt, qvin agreſtem & impolitum pronuntiem. Nam qvanto elegantior Plinius & demonſtravit ejus nobilitatem, & contra Statuariam defendit

præcla-

præclare? Enim vero an ſordidam appellabimus: qvæ liberâ adhuc Rep. Romæ eqveſtribus atqve prætoriis manibus tractata; qvæ nobiliſſimæ Fabiorum genti cognomen dedit; dignaqve viſa, qvam Q. Pedii conſularis ac triumphalis viri nepos doceretur imprimis, ipſo Auguſto Imperatore probante, cui à dictatore Cæſare cohæres datus? De Græcia autem qvid dicam, qvæ tantum huic arti tribuit, ut reciperet in ipſum chorum liberalium, interdicto perpetuo, ut ſervitia neqve addiſcerent neq; docerent? Qvid reges potentiſſimos memorem, qvi Apellis, qvi Echionis Melanthiiq; atq; Nicomachi, clariſſimorum pictorũ, tabulas ſingulas vel oppidorum pretiis redemerunt? Abſolvet ſordium facilè nobiliſſimam artẽ, qvi iſta ſecũ reputat, & turpitudinem criminis vel ipſi Valerio impinget potius: futiliter certè ac imperite judicaſſe pronunciabit. Enimverò obſcura nunqvam ac ſordida videbitur ars, qvæ antiqviſſimæ ſapientiæ cognata eſt, qvæ in liberales adſcripta artes, & honeſtiſſimi cujusq; manu tractata fuit. Prætereo C. Fabium nobiliſſimo genere ſtirpis Romanæ; item Turpilium eqvitem, nec non Aterium Labeonem Prætorium & Proconſulatu Narbonenſis provinciæ functum: qvos nihilo ſecius pinxiſſe ſcienter, qvàm aliis laudibus excelluiſſe, proditum literis eſt. De moribus, doctrina, virtutibusqve ingentibus Nepotiani Presbyteri plura, atqve magnifica B. Hieronymus Epitaphio ejus canit: Qvas inter ſummas ac ſingulares viri laudes pingendi, qva polluit, peritiam minime ſibi ſilendam duxit. JACOBI

Au-

ıGUSTI THUANI nomine: qvod ſeculo
ıſtro illuſtrius fuit? Qvi qvàm pingendi dili-
ns fuerit, adoleſcens maximè, ipſe eſt teſtis: ad
c laudabile animi exercitium, ita loqvitur ipſe,
ıni alio, ſive infantiæ, ſive pueritiæ omiſſo ob-
ſtamento, naturam tuliſſe: & hoc gentile fuiſſe
HUANIS. Bongarſium, Gendios fratres, Jo-
nnem & Nicolaum, Golzium item & Veni-
ı, non minus literis & elegantiſſimorum Car-
inum laude, qvàm artificio pingendi clariſſi-
ɔs extitiſſe, nemo humanior ignorat. Qvi-
s & accenſendus Petrus Paulus Rubenius eſt,
em ob ingenii eruditi cultum ut amant docti
magnifaciunt, ſic ſtudioſi picturæ admiran-
: ex merito unum ſeculi noſtri Protogenem aut
ıellem. Dicas, Lector Benevole, qvò ergo
rtinent exorſa iſta? aut qvonam fine hoc inſti-
:um ſive Encomium picturæ ſive defenſio eſt?
: qva mirari poſſis ſcilicet, qvod inter Acade-
cos Cives dudum *Johannem Hauerum*, Picto-
n ſcitiſſimum nec illiteratum adſcripſimus; &
nc ejusdem filium cognominem, paternæ artis
nſecraneum Tibi commendamus. Qvi neq;
;enio, nec ſtudio conſtantiaqve cum deſtitua-
: egregium ſane & præſtantiſſimum pictorem
:urus eſt, ſi & ſuppetit vita, & aderunt Patroni,
emergendi per illos occaſio continget. At-
e ut faveas homini, Lector Benevole, & ejus
natus benigne provehas, vel probitas etiam
ve modeſtia, & ſedatiſſimi mores invita-
nt. Honeſtiſſimæ comitatis eſt complecti in-
ıia, tueriqve artium elegantiam. Qvam lau-
dem

dem ut liberaliſſima qvæqve ac elegans maxime & ſublimis indoles affectat imprimis, ita non niſi humiles, ruſticiqve negligere ſolent. Qvam culpam deprecabere ſane, Lector Benevole, bene merendo de noſtro, & ut id facias cumulate, officioſe rogamus. Vale, perſcriptum ſignatumqve Wittenb. d. 20. Apr. anno recuperatæ gratiæ 1642.

CXXXVIII.

Testimonium
Werneri à Schulenburg.

Lectori Benevolo

S. P.

GEneroſus aliqvis eſt? Parentes laudas. Dives eſt? Non credo fortunæ. Validus eſt? ægritudine fatigabitur. Pernix eſt? Abibit in Senectutem. Formoſus eſt? exſpecta pauliſper & non erit. At enim bonis artibus doctus & apprime eruditus & qvantum licet homini ſapiens, & boni conſultus? tandem aliqvando ipſum Virum laudas. Hoc enim nec à Patre hæreditarium eſt, nec à caſu pendulum, nec à ſuffragio anniculum, nec à corpore caducum, nec ab ætate mutabile, inqvit alicubi Apulejus Platonicus, ſcriptor eruditiſſimus; ut magnus ille Caſaubonus olim cenſuit. Hoc animo ſuo perpendens Wernerus à Schulenburg antiqvâ generis gloriâ atqve ſplendore nobiliſſimus juvenis à teneris ſtuduit & ipſe ad ſapientiæ ſtudium ſe ingerere, & diligenter cavere, ut ne qvid alienum in laudibus ſuis audiret. Itaqve liberalibus literis domi ſuæ apud Parentes optimos imbutus ad Academiam noſtram

ante

: hos tres & qvod excurrit annos a ceeſſit ſub-
ioris ſubeundi magiſterii gratia. Cumq; ad-
teret utiliter, neminem ulla tractare poſſe ſtu-
niſi voluptatum inimicus, id hactenus ope-
ı dedit, ut doctrinæ ſimul & vitæ probitate
ıorum omnium calculum, & illud vetus *Euge!*
el promereretur. Comparata enim Latinæ
gvæ, qvantum opus, cognitione & uſu, dicen-
ıvoqve & ratiocinandi artem arripuit, & ita
ſteà purgatus qvaſi atqve luſtratus illud ſeria-
n diſciplinarum πάνθεον, ut ſic dicam, intro-
cœpit. In qvibus ita verſatus eſt, ut ea, qvæ
lia & ad virtutem prudentiam qve facerent,
ımeret, cætera verò negligeret, aut certè illis
λωταῖς τεχνυδρίων καὶ ἱμαντελικ]αίοις minu-
·um rerum aucupibus, flexuoſarumqve captio-
m ſartoribus relinqveret. Et plus ſcire velle,
am ſatis ſit, intemperantiæ genus eſt, ut Ro-
ınorum ſapientiſſimus dixit. Macte hoc a-
no, cordate Juvenis, & porrò qvoqve literas
lè, qvatenus prudentiæ inſerviunt. Nam ut
ıd, qvod Phœdrus olim dixit: *Niſi utile eſt,
ıod facias, ſtulta eſt gloria*; ego hoc loci im-
utem leviter, dicam: niſi utile eſt, qvod ſtudeas,
ılta eſt gloria. Qvemadmodum non qvi pro-
iſcuè omnia & citra ſaturitatem comedunt, ſed
·i delectum ciborum & modum habent, valere
demus rectius: ita non qvi multa, ſed qvi
ilia didicerint, ſapere exiſtimandi ſunt. Mo-
s ipſius ingenui, & ad modeſtiam compoſiti, à
ſtu ſane procul remoti. Itaqve etſi Nobilita-
m ſuam præ ſe ferret, eâ tamen non intumebat,

& ce-

& cæteros omnes umbras & terræ filios putabat. Præceptores igitur cæterosq;,qvi ipſum ætate atqve doctrinâ aut dignitate publicâ antecederent, debito honore & reverentiâ colebat: Æqvales verò & Commilitones ſincere amabat. Qvanqvam, qvod à turbis alienior tranqvillitatem ſecretumq; amabat, paucos & non niſi eos in familiariorem amicitiam admittebat, qvi ſimiles ipſi,hoc eſt,optimi,optimis certè proximi eſſent. Utinam plures imitarentur hodie.Faxim ego certe, ut rarius de optimis peſſimos factos videremus. *Inimica*,inqvit Seneca,*eſt multorum converſatio. Nemo non aliqvod nobis vitium aut commendat,aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Serpunt enim*, ut iterum idem alibi, *vitia & in proximum qvemq; tranſiliunt & contactu nocent.* Qvod ſi ſuus porro erit WERNERUS noſter,qvanta laus generi,decus & emolumentum qvantum patriæ accedet? Faciet id,certò faciet,ita ſperamus certò vovemusq;,qvi hæc teſtati ſumus &Sigilli Academici fide confirmavimus.

CXXXIX.

Testimonium

Bodo von Bodenhauſen.

Lectori Benevolo

S. P.

QVod res atqve conditio ipſius ita reqvirere viderentur,teſtimonium vitæ hic actæ Nobiliſſimus magnæq; ſpei Juvenis Bodo von Bodenhauſen à nobis petiit, cujus voluntati atqve petitioni cur deeſſe velimus, eqvidem cauſam habemus nullam. Teſtamur itaq; prædictum nobis

bis Juvenem Nobiliſſimum veniſſe primum in Academiam Anno cIↄ Iↄc. IX. m. Januario, inqve album ſtudioſorum rite inſcriptum eſſe. Deinde parentum juſſu, poſt tempus aliqvod abiiſſe, & rediiſſe demum cum Præceptore Anno qvaſi cIↄ Iↄcxi. atq; ex eo ſupra biennium in Academiâ noſtra commoratum ita vitam ſuam inſtituiſſe, ut nobilitatem generis facilè factis comprobaret. Qvum enim advertiſſet ſibi, plurimam jam nobilitatis laudem in ſplendore natalium & longâ majorum ſerie poſitam eſſe; ſed tamen & ſuas cujusqve virtutes & mores non exiguam ſibi vendicare, unde & Poëta canit:

- - - perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus eſt in origine ſola:

Sedulò id pro virili ſua ſemper anniſus eſt, egregiis moribus ſecuturarum virtutum olim certiſſimam ſpem de ſe concitaret. Itaqve pietati, modeſtiæ, tranqvillitati ſtuduit, Præceptores devote coluit, commilitones ſincere amavit, iisq; placide convixit. Præterea bonis literis incubuit, ut qvi eas non ſcholæ, ſed vitæ & prudentiæ diſcebat. Profecto enim, ut Romanus ſapiens ait: plus ſcire velle qvàm ſatis ſit, intemperantiæ genus eſt. Atqve cum iſta ita ſeſe habeant, Nobiliſſimum hunc noſtrum alumnum hactenus hoc ſive elogio, ſive teſtimonio diſcedentem proſeqvi voluimus. Qvem ſua iſta virtute mactum eſſe, te verò, Benevole Lector, ex animo ſalvere valereqve jubemus.

CXL.

Testimonium

Balthaſaris à Bothmar.

Lectori Benevolo S. P. D.

DUo ſunt, qvæ in homine liberali & literis dedito commendari laudariq; ſolent, ſtudium atqve induſtria diſcendiqve ardor, & deinde elegans morum compoſitio. Primo enim ſummè neceſſarium eſt velle diſcere, deinde laborare. Profectò enim, qvod Ennius ait:

Nemo Sophiam, ſapientia qvæ perhibetur,
In ſomnis vidit, prius ac jam diſcere cœpit.

Porrò cum literæ emollire animos, & recto more componere debeant, qvippe qvæ pietatis, qvæ honeſtatis præcepta abunde ſuppetunt; ſeqvitur peſſimè literis uti illos, qvi non ad earum præſcriptum vivere vitam inſtituerunt. Ab hoc ut ſedulò cavit ſibi, ita à ſuperioribus ſeſe ſemper probavit nobis Nobiliſſimus Juvenis Balthasar à *Bothmar* &c. qvamdiu hic (qvod triennium eſt) verſatus alumnus noſter literarius extitit. Poſtqvam enim huc veniſſet, & dignam nobilitate ſuâ eruditionem, magnum prudentiæ inſtrumentum comparare ſibi in animũ induxiſſet ſuum, ſummâ conſtantiâ, labore atq; induſtriâ illud exſecutus eſt, diſcendiq; occaſionem ægre ſibi elabi paſſus eſt. Unde effecit, ne majorum ſuorum aliqvi ſoli docti; illi verò, ne noſter primus eſſet. Mores prætereà & cæteræ vitæ rationem qvod attinet, ad pietatis honeſtatisq; regulam ſeſe ſemper conformavit, & modeſte tranqvilleqve geſſit; atq; ita dum porro qvoqve virtutum doctrinarumqve

To-

Totam agitat molem, & commiſſam corpore toto

ſuſtinet, favorem plurimorum amoremqve ſibi conciliavit. Id qvod ita ſeſe habere, hiſce literis conteſtamur, & Nobiliſſimum iſtum juvenem porro ſuum, hoc eſt, virtutis doctrinæqve admiratorem eſſe, ex animo precamur.

CXLI.

TESTIMONIUM

Alexandri Esken.

Lectori Benevolo

S. P.

DIſcedentes ex Academiâ alumnos noſtros virtutis & morum teſtimoniis proſeqvi mos vetus obtinet, & juſtum alioqvin atqve æqvum eſt. Qvidni enim honorem vel ſalutem promovere & adjuvare eorum velimus, qvod certe ita facimus, qvi reliqverunt Parentes, ut alteros invenirent, ſumtusq; impendere plurimos, ut doctrinarum opes ſibi poſſent congerere? Qvapropter etiam, cû ornatiſſimus iſte juvenis ALEXANDER ESKEN, Gryphiſvvaldenſis Pomeranus ſub diſceſſum ſuum teſtimonium vitæ ſuæ apud nos actæ peteret, voluntati & precibus ejus noluimus deeſſe. Teſtamur itaqve eum in Academiam noſtram veniſſe 1617. Menſe Auguſto, atqve hoc ſtudiorum conſortium ritè fuiſſe receptum. Eumqve ſemper hactenus ita vitam inſtituiſſe, ut officio ſuo ſatisfacere videretur. Nam diligenti operâ induſtriaq; Juridica, hoc eſt, ſua ſtudia tractavit, qvæ ut provehere feliciter ornareq; poſſet, nihil publicè privatimq; legendo,

do, diſputando, audiendo, intermiſit. Ad hoc Præceptores ſuos debito honore coluit, ſociis ſtudiorum amicè tranqvilleq; convixit, moleſtus nemini, contra verò gratus multis acceptusqve fuit. Qvæ omnia qvum in homine juvene laudanda & omnibus affectibus proſeqvenda ſunt, Alexandrum noſtrum tibi, Bone Lector, ſeriò & de notâ, qvod dicitur, meliore commendamus, ut ejus honori & conatib9 faveas atq; proſpicias, nõ ſine honore tuo, certe communi bono. Ita ſperamus eqvidem, & ita tu ſalve à nobis, Bone Lector, & vale, qvi certe noſtro tibi officio nunqvam defuturi.

CXLII.

Testimonium Samuelis Geelhudii.

Lectori Benevolo S. P. D.

QVanqvam qvandoq; Optimi qviq;, vel temporum malitiâ & ſeculi veluti morbo corrumpantur, vel eorum, qvibuscum convivunt, perverſitate ad prava & minus recta deflectant? Sumus enim homines, ut illud Heliodori huc trahamus, πρᾶγμα ἀστάθματον, καὶ ὀξείας ῥοπάς ἐφ' ἑκάτερα λαμβάνον. Suus tamen manſit hactenus & antiqvum tenuit ornatiſſimus juvenis Samuel Geelhudius, Halberſtadienſis Saxo, ut qvod ſuperiore anno de ipſo teſtati ſumus, id in præſenti adhuc qvoq; ex vero teſtimonii loco perhibere habeamus. Neqve enim qvidqvam, qvod ad partes ipſius pertinere poterat, omiſiſſe videtur. Literas enim non Philoſo-

loſophicas tantùm, ſed & Theologicas qvoqve, qvâ par eſt, diligentia induſtriaq; tractavit; pium, probum atq, modeſtum ſe geſſit, cum ſociis ſtudiorum placidè tranqvilleq; convixit. Atqve hac ratione non tantum egregiū eruditionis inſtrumentum ſibi comparavit, ſed & plurimorum qvoqve favorem & benevolentiam ſibi conciliavit. Qvibus de cauſſis tibi, Benevole Lector, illum commendamus, & rogamus, ut nihil eorum intermittas, qvibus ſtudia ipſius ornare juvareq; poſſis. Qvâ in parte non tam de optimo iſto Juvene, qvàm de bono publico benè mereberis. Vale.

CXLIII.

TESTIMONIUM

Joach. Friderici à Luderiz.

Lectori Benevolo

S. P.

QVemadmodum omnibus iis, qvi ſtudiorum gratia apud nos verſantur, ex animo cupimus favemusq;, ita & abeuntes qvoq; benevolè proſeqvi & aliis commendare ſtudemus. Qvapropter cum nobiliſſimæ ſpei Juvenis Joach. Frideric. à Luderiz diſceſſum meditaretur, noluimus ſane illum conſpectui tuo apparere, Bone Lector, ſine teſtimonio noſtro. Venit in Academiam noſtram tribus antè annis, inq; hanc ſocietatem Muſicam legitimè ſeſe fecit cooptari. Cumqve duo præcipuè ſint, qvorum cauſa huc acceſſerit, virtus & ſtudia: ambo ſeriò conjunxiſſe viſus eſt. Nam modeſtè ſe ſemper geſſit, tranqvillè vixit, nulliq; locum qverimoniæ, qvantum ſcire

poſſumus, reliqvit. Literas ſedulo coluit, inqve iis pro ætatis & ingenii modo laudabiliter profecit, qvamvis majorum gloriâ & nobilitate polleat, ſibi tamen cum DEO olim [ita ſperamus]

- - - *Majus decus ipſe futurus.*

Qvæ omnia bonâ fide atteſtamur, teq;, Benevole Lector, ſalvere valereqve jubemus. Perſcriptum ſignatumqve Wittebergæ, &c.

CXLIV.

TESTIMONIUM

Andreæ Usvvaldi.

Lectori Benevolo

S. P.

ANDREAS USVVALDUS Academiâ noſtrâ aliò diſceſſurus teſtimonium à nobis petiit, in qvo ipſius deeſſe precibus cauſam habuimus nullam. Nam ſi ſagatæ illius & Martialis militiæ alumnos, poſtqvam Sacramento ſoluti, commendari per Literas aliis videmus, cur non & hoc fiat togatæ iſtius & Apollinaris militiæ ſectatoribus? Qvi certe non minus à pietate & doctrinâ, ſi habent, laudari aliis, qvàm illi à fortitudine & fide poſſunt? De Andrea noſtro teſtamur, qvamdiu ſub magiſterio parentum & noſtro hic vixit [vixit autem à primâ pueritiâ] liberalium artium, qvin & jurisprudentiæ in partem ſtudiis diligentem collocaſſe operam, inqve iis non pœnitendos feciſſe profectus. In Muſicis qvoqve (namq; & hæc etiam laudabili & veterum exemplo adjunxit,) tantum evaſiſſe, ut nonnullis palmam poſſit facere ambiguam. Mores ipſius qvod attinet, nec incompoſiti illi aut agreſtes aſperi-

aſperiq;, ſed placidi, tranqvilli (tales deprehendimus hactenus) & ad pietatis honeſtatisq; regulam efformati. Qvæ omnia qvi amatis, amate, rogamus, Andream iſtum, ejusq; conatus & ſtudia provehite, qvod è veſtrâ laude ipſius commodo, publico deniq; (ita ſperamus) bono. Vale.

CXLV.

TESTIMONIUM
M. Tobiæ Henckelii.

Lectori Benevolo

S. P.

CUm teſtimonium vitæ & ſtudiorum M. TOBIAS HENCKELIUS peteret, ſerio dico, & calamus pariter & mens pruriebant, iſta dictare atqve ſuggerere, excipere ille & conſignare. Adeò fœcunda benignaq; materies in iſto homine præbebatur, & qvalem plures utinam hodie, qvi hic agunt, de ſe darent. Qvæ enim duo in homine literis dedito laudari commendariqve ſolent, rectitudo vitæ atqve doctrinæ probitas, ea utraq; in Henckelio noſtro tam luculenter enituere, qvàm in alio vix poſſint. Ad eruditionem enim ipſius qvod eſt, ea talis fuit, qva non tantum Commilitonum ſibi amorem, ſed & plerorumq; noſtrûm favorem ſibi conciliavit. Et qvid non ab eo exſpectari debeat, qvi ab ingenio inſtructus ſatis tantâ diligentiâ induſtriâq; ſtudia tractaret? Qvamvis autem primariò qvidem Theologiæ ſeſe deſtinaſſet, noluit tamen eam illotis (qvod fere fieri ſolet hodiè) contrectare manibus, ſed os prius lingvis neceſſariis expolivit, pectus verò diſciplinis artium & Philoſophiæ abundè replevit,

ejusqve rei tum diſputando tùm reſpondendo publicè privatimq́; præclara ſpecimina edidit. *Etſi*, ut Patrum eruditiſſimus, ſi Hieronymo credimus, ille Alexandrinus Clemens ſcribit, *doctrina ſervatoris ipſa ſibi ſufficit; nec aliena opis indiget, cum ſit potentia & ſapientia ipſius DEI: tamen Græcanica Philoſophia ſi acceſſit, non qvidem validiorem facit veritatem, ſed Sophiſticos inſultus ab ea amolitur, & inſidias omnes avertens ſepes & lorica eſt Dominicæ vineæ.* δύο ταῦτα δυσκράτητα, θεὸς καὶ ἄγγελος, καὶ τὸ τρίτον φιλοσοφία, inqvit ille. Cæterum qvamdiu hic vixit, tranqvillè, placidè, modeſtè vixit, nec

Victa libidine colla

Fœdis ſubmiſit habenis.

Sed è contra ſeſe ſobrietati & temperantiæ dedidit, id qvod Philoſophiæ ſectatorem, præcipuè verò Theologiæ ſtudioſum qvammaximè decet. Ut enim illud Romani ſapientis hic uſurpem, *vita diſcendum, non ſchola*: Sive qvod ille apud Gellium ait: *Odi homines ignavâ operâ, philoſophâ ſententiâ.* Atqve hæc ſunt, qvæ de HENCKELIO noſtro teſtari voluimus. Etſi enim multò plura ſunt, qvæ in ipſius laudem ex vero hic dici commemorariq́; poterant, ſtudio tamen ea prætermiſimus, cum ipſe ea facilè, Bone Lector, deprehendere, & ex eo diſcere qveas. Id qvod certo tibi promittimus, atqve majora etiam ita ſperamus, imò confidimus plane, ſi Deus annos producet ipſi, tu verò favorem. Qvod rogamus ſeriò, & te ex animo ſalvere valereqve jubemus.

CXLVI.

CXLVI.

Johanni Seuſſio.

S. P.

QVod Petronius alicubi ait, *neſcio qvomodo bonæ mentis ſoror paupertas*, id in Juvene iſto experiri licet. Eſt ille ingenio omnis capaci diſciplinæ & ad bona qvæqve nato. Callet lingvas nec vulgariter, recte novit philoſophari, guſtavit & de Poëticis cadis, imò ſe illis immerſit: nam verſus ſcribit faciles, elegantes terſos, & qvi nonnullorum lauros ſollicitare poterant. Non tibi verba do, habet ſpecimina ſecum, judicabis igitur & rem deprehendes. Cæterum tam fortunâ depreſſus eſt, ut perpetuo jacere humi oporteat, niſi levetis vos & erigatis. Qvæſo qvantum poteris, & licebit, juva, mi Pater, hominem, & ſe digno fato redde. Meretur hoc eruditio ipſius, meretur magnus ille, & (da verbo veniam) Herculeus vir Martinus Lutherus, ex qvâ ſtirpe eſt iſte ramus. Qvem dedecus profectò ſit exareſcere permittere, priusqvam ad robur & maturitatem ſuam perveniat. Nihil mihi debes; ſed ſi ſervi ſæpius aliqvid apud Dominos per filiorum preces impetrant, & ipſe aliqvid à me ſperare poteſt. Et verò multum ſpei collocavit in literis meis. Videris igitur, ut non tam illum, qvàm me beneficio tibi obſtringas. Mitto hic Phœnicem Gryphiandri. Qvid de eo mihi videatur, faxo ſcias. Sed non niſi prius judicium tuum perſcripſeris. Ego varia muſinor, ſed nolo me publico committere: Sera interdum gloria cumulatior redit, inqvit ille. Vale, mi Pater, & certò perſvade tibi,

in tuæ ſpem gratiæ nihil, licet duriſſimum, detrectaturum. Vale iterum, & tuus eſto, hoc eſt, in preſſas Optimi Juvenis Muſas promtus & volens.

CXLVII.

Testimonium

Valentini Tragenii.

Lectori Benevolo

S. & O.

NOn eſt deNihilo, qvod Poëtarum ille naſutiſſimus, Horatium dico, Lollium ſuum alibi monet:

Qvalem commendes, etiam atqve etiam adſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & qvondam non dignum tradimus.

At in Valentino iſto TRAGENIO Kembergenſe tradendo tibi, amice Lector, & commendando, qvi falli poſſumus, qvum ex illorum fide id faciamus, qvi ipſum non adſpexerunt tantùm ſæpius, ſed penitus qvoqve inſpexerunt? Scias igitur hunc Tragenium ante hos octo qvaſi annos nomen dediſſe Academiæ, & aliqvandiu tenuiter ſatis atqve ſuccinctè vitam tenuiſſe, donec inter illos relatus, qvi ab Sereniſſimo noſtro Electore munificis imò magnificis ſumptibus hic aluntur. Scias inſuper, ita ſeſe comparaſſe ſemper, ut nunqvam malè rem geſſiſſe deprehenſus fuerit. Toto enim iſto tempore & Philoſophicas & Theologicas literas (ad has enim Principi & Nutricio ſuo obligatus erat) eo ſtudio atq; induſtriâ tractavit, ut non ineptum (præcipuè cum mo-

mores doctrinæ concinant, qvos ſemper hactenus ad pietatem, honeſtatem & qvod in iſtâ ætate præcipuum, modeſtiam effinxiſſe laudatur) ad functionem aliqvam convenientem capeſſendam adminiſtrandamq; deputemus. Qvibus igitur ea res in manu, eos officioſè rogamus, ut juvenem & doctum & probum ſibi commendatum habeant. Qvicqvid in eum conferent, nec malè nec inutiliter conferent. Ita ſperamus nos, imò confidimus planè, qvi hæc literis commiſimus & ſigillo Academico inſignivimus. d. 22. Auguſt. 1618.

CXLVIII.
TESTIMONIUM
Gabrielis Cunſchii.

Lectori Benevolo
S. P.

QVi ante aliqvot annos ex Academiâ noſtrâ diſceſſit GABRIEL CUNSCHIUS, Tupicenſis Marchicus & informatione puerorũ hactenus in variis locis & ſe & ſtudia ſua ſuſtinuit, ad nos ingrediens iterum, teſtimonium vitæ & ſtudiorum a nobis petivit. Et in eo qvidem deeſſe voluntati ipſius cauſam non invenimus idoneam. Qvamvis autem familiarius illum, cum hic ageret, non noverimus, tamen ab aliis de eo edocti ſumus, & certiores redditi. Teſtamur itaqve veniſſe in Academiam noſtram ante hos qvinqve annos, Rectore Viro Conſultiſſimo & Clariſſimo ERASMO Unruh/ J.U.D. & Profeſſore eximio, & in Academiæ album ritè relatum & numero ſtudioſorum fuiſſe adſcriptum. Deinde biennio,

nio hic egiſſe, & diligenter in bonis literis (Philoſophicis præcipue) incubuiſſe, lectionesqve & Diſputationes ſedulo freqventâſſe, & hac ratione non pœnitenda eruditione animum induiſſe. Præterea modeſte, placide, tranqville toto iſto ſe geſſiſſe tempore, nec moleſtiam injuriamve feciſſe. Quæ omnia ut ex fide atteſtamur, ita tibi, Benevole Lector, Cunschium noſtrum seriò commendamus, teqve rogamus adeò, ut, qvacunqve ratione poteris, conatus ejus adjuves, ſtudiaqve promoveas, memor illius Publiani: *Beneficium dignis ubi das, omnes obligas.* Vale.

CXLIX.

Testimonium

Johannis Heinzelmanni,

Lectori Benevolo

S. P.

Vixit apud nos ſemeſtre qvaſi Ornatiſſ. Juvenis Johannes Heinzelmannus, & ita qvidem, ut & Præceptorum voluntati & officio ſuo, præcipue Ampliſſ. Uratiſlavienſis Senatus votis, qvi ſuſtentavit ipſum hactenus, feciſſe ſatis ſuo merito exiſtimandus ſit. Cum enim cum animo ſuo ſecum ſtudiorum & præcipue Jurisprudentiæ gratiâ ſeſe huc miſſum eſſe recogitaret, certè ita illa habuit hactenus, ut ſi hac lineâ pergat, ſpes ſit non in vulgarem olim legitimæ ſcientiæ cognitionem ſe penitraturũ. Cum enim notaret ſibi, multo-plures hodie ſine cortice natare fruſtrà aggredi, hoc eſt, neceſſariarum artium inſtrumento parum ſubnixos Jurisprudentiæ tentare Oceanum, & *Cruda*, ut Petronius loqvitur,

tur, *ſtudia in forum propellere*, os prius neceſſariis linguis expolire, animum verò Philoſophicis diſciplinis excolere voluit, ut accipere fidelius & maturare poſſet illam, ut ita dicam, juridicam ſementem. Itaq; & ipſe domi aſſiduè in literis, publicè verò in lectionibus & Diſputationibus deditus doctrinarum flores collegit, & exſucto inde nectare, ingenii, ut ſic loqvamur, cellulas abunde replevit. Qvemadmodum verò gemmæ alicui, pretioſiſſimæ licet, nulla aut certè longè minor gratia eſt, ſi nuda, nec auro inſerta affabre; & fulgore ejus circumfuſa: Ita illa eruditio probanda demum laudandaq; venit, qvæ cum morum elegantia & probitate conjuncta eſt, itaqve Johannes noſter ita doctrinam ſectatus, ut & virtutem inveniret. Modeſtiæ igitur, honeſtati, & qvæ prima nominari merebatur, pietati ſtuduit, tum qvâ Deum, tum qvâ homines colimus. Vi neminem injuriave affecit, ſed tranqvillè, placidè & turbarum cauſas procul habens, omnibus convixit. Qvæ omnia ut ex fide illorum teſtamur, qvi minimè ſubleſtæ fidei, ita omnes bonos & doctos, præcipuè verò Ampliſſ. Uratislavienſem Senatum officioſè rogamus, ut Heinzelmanno noſtro porrò faveant, ejusqve ſtudia juvent, provehant, ornent. Vale. CL.

Testimonium
Sebaldi Thomæ.
Lectori Benevolo
S. P.

Qvemadmodum doctrina & virtus nullum præmium ac mercedem extra ſeipſas ſtatu-

unt

unt, atqve adeò unicè in ſe totum felicitatis circulum abſolvunt, ita nec externas ambiunt laudes, ſed propriâ luce conſpicuæ auxilium negligunt commendationis alienæ. Unde ſupervacaneum videri poſſit, homines bonos & doctos aliorum commendare favori, qvum ipſo virtutis merito qvosvis ſibi facile poſſint demereri ipſi. Sed qvia ſic comparatum eſt, ut aliud tempus alii virtuti exercendæ magis idoneum ſit, propterea illa, dum deliteſcit interim occaſionem ſe exerendi operiens, non advertatur à qvibusvis facile, neqve enim in fronte inſcriptum cujusqvam eſt, qvàm bonus doctusqve ſit, neceſſarium videtur propemodum, ut ei externi fautores commendatoresqve accedant. Qvopropter rectè ac ordinè fecerunt majores noſtri, qvi diſcedentes alumnos ſuos teſtimonio aliqvo vitæ & ſtudiorum voluerunt inſtrui. Qvò ſcilicet doctrinam virtutemqve ſuam commendatiorem reddere aliis, eorumqve favorem ac benevolentiam faciliùs ſibi poſſent comparare. Qvare cùm Ornatiſſimus Juvenis SEBALDUS THOMÆ, ASLOA NORWEGIUS rediturus in patriam, qvò ad capeſſendum munus ſcholaſticum vocatus fuerat, à nobis petiiſſet, ut ſibi vitæ apud nos actæ teſtimoniũ impertiremur, haud difficulter in eo ipſi aſſenſimus. Nam ſi in Martiali illa, ut ità loqvamur, militia, id qvotidie & cùm ambitione qvadam videmus fieri, qvantò magis in noſtra illa Apollinari id fieri convenit? Teſtamur itaq; prædictum nobis juvenem ante hoc ipſum triennium, & qvod excurrit, in noſtram veniſſe Aca-

demiam

demiam, atqve ita vitam inſtituiſſe hactenus, ut favore & commendatione non indignus videatur. Nam qvum duo ſint, qvæ ab homine literis dedito maxime expectentur, induſtria ſtudiorum diligens & vitæ ac morum ſanctitas ac rectitudo, ſanè utrumqve ita præſtitit, ut omnes pæne numeros impleſſe videatur. Scilicet in id navamus operam ſtudiis, non tam ut docti, qvam ut meliores evadamus. Nam qvod de eloqventia dixit Plinius; *male eam diſci ſine moribus*, id de univerſa literaria intelligendum eſt. Qvæ ſane id eo inventæ, atqve ab immortali Deo conceſſæ mortalibus ſunt, ut iis luſtrentur animi atqve à ſuis vitiis expurgentur, qvo converti deinceps in ſe & originem ſuam facilius poſſint: de qvo non uno in loco divinus Plato ediſſerit. Nihil igitur antiqvius, nihil prius habuit noſter, qvàm ut eruditionem cum virtute ac pietate geminaret. Cæterum cùm benè intelligeret, ordine conſtare omnia, atqve eundem igitur in ſtudiis qvoqve neceſſarium eſſe, non inconſulto errore vagatus in literis, ſed per legitimos gradus eò, qvò aſpirabat, contendit. Igitur qvùm Theologiam ſcopum ſibi ſtudiorum præfixiſſet, priusqvam tentaret illam, eruditione literarum humaniorum paravit animum, & meditationibus Philoſophicis aſſiduè exercuit. Qvo qvidem id conſecutus eſt, ut ſicut minore labore, ita majore fructu poſtea in Theologicis ſtudiis verſaretur. In qvibus eos fecit profectus, ut ſi pergat hac lineâ, & cœptum feliciter curſum, qvod minimè dubitamus, ſtrenuè urgeat, eccleſia ejus ope-

opera non ſine commodo olim uti poſſit. Qvâ ipſâ de cauſa non modò bonorum qvorumvis animos, ſed & Præceptorum qvoqve benevolos habuit ac faventes. Præcipuè qvum & in cæterâ vitâ ita ſeſe gereret, ut omnem impietatem, turpitudinem ac levitatem deteſtâretur à ſe atq; averteret. Qvæ cum ita ſint, cum bonos omnes atqve doctos, tum præcipue Illuſtrem atqve Ampliſſimum Virum Dn. JOHANNEM JULIUM, Dominum in Kielgrad, Regni Daniæ Senatorem Ampliſſimum, ut & Norvegiæ Pro-Regem, nec non Reverendum atqve Clariſſimum Virum Dominum NICOLAUM SIMONIS Gloſtrupium, Diœceſium Aſtvenſis & Hammarienſis Epiſcopum, atqve adeò totum venerabile Capitulum Alloenſe, officioſe ac peramanter rogamus, ut Sebaldum iſtum, cujus honeſtiſſima ſtudia ac conatus liberaliſſime aluerunt, & promoverunt hactenus, qvàm commendatiſſimum ſibi habeant, eumqve in poſterum tempus, uti fecerunt hactenus, ornare atqve provehere non deſiſtant. Certi ſe accepturos beneficium, qvum dederint: atqve non modò SEBALDUM noſtrum ad debita obſeqvia & cultum, ſed & nos qvoqve ipſos ad mutuà humanitatis officia qvàm arctiſſime devincturos eſſe. Vale.

CLI.

Testimonium Pauli Siavolæ.

Lecturis S.P.

Laude ferimus, qvoties nobilis virtute inter illos labores martios & belli pulverem ſtrenuè deſu-

ſudaverit; qvidni & illos commendandos ducamus, qvi in Muſarum caſtris fortiter fecerunt, & opere maximè ſedulo anniſi ſunt, ut ſe in eruditionem aliqvam inducerent.

Et digni veniant hederis & imagine ſacrâ,

ut hoc cum Satyrico dicamus? Itaqve cum Ornatiſſ. ac benè doctus Juvenis, PAULUS SAVOLA Cibinienſ. Saxo-Tranſylvanus diſcedere tandem & *Patrios remeare penates* conſtituiſſet, idqve vitæ teſtimonium à nobis ſibi petiiſſet, facile qvidem, & qvod virtute meruerat, precibus ſuis impetravit. Teſtamur itaqve, & id de comperto, prædictum Juvenem biennio fere apud nos intra pietatem, modeſtiam, temperantiam egiſſe, ut nemo ullus de ipſo hactenus conqveſtus fuerit. In ſtudiis præterea cubuiſſe ſedulo, & in Theologicis tam propriâ domeſticaqve induſtriâ, qvam lectionum diſputationumq; attentâ freqventatione laudabiliter promoviſſe, & qvamqvam hoc ſerio ageret, tamen aliqvando ad illa τὰ φιλοσοφικὰ commeâſſe, & ſubinde inibi qvaſi in ludo exercuiſſe ſe ac præparaſſe ad majora, qvò perventurus certe eſt, ſi bonorum favore fuerit provectus. Facies id, facies certè, qvi talis es, & ſi gratia noſtra hic qvidqvam facit (ut confidimus eqvidem) rogamus nos qvoq;. *Neqve enim cuiqvam tam clarum ingenium eſt, ut poſſit emergere: niſi illi materia, occaſio, fautor etiam commendatorq; contingat*, recte in Epiſtolis ſcribit ille Plinius Junior. Qvo finimus nos, & te, Bone Lector, etiam atqve eti-

am ſalvere atqve valere jubemus. Perſcriptum ſignatumqve Witteb.

CLII.

Testimonium Nicolai Hoffmeiſteri.

Lectori Benevolo S. P.

Qui turbo iniqviſſimorum temporum proximis annis multa præclaræ ſpei ingenia à literarum magno cum Reipublicæ damno avertit ſtudiis, is ipſe & ornatiſſimum juvenem Nicolaum Hoffmeisterum, Dreſdenſem, ante hoc biennium ex Academia noſtra diſcedere coëgit. Qvamqvam in liberalium artium ſtudiis eò pervenerat, ut ſi tenere curſum ſuum ipſi licuiſſet, utilem aliqvando Eccleſiæ & Reipublicæ operam potuiſſet navare: Qvia tamen temporum diritas conatibus ejus obnitebatur, votorum ſuorum finem conſeqvi non potuit; Qvin interruptis penitus ſtudiis ſuis aliis omnibus incumbere coactus fuit. Qvi qvum à nobis non ita pridem teſtimonium vitæ hic actæ petierit, ſperans id tum honori impoſterum, tum præſidio non exiguo futurum fore: non difficulter id ipſum impetrari à nobis paſſi ſumus. Neq; enim cauſa erat, de qvâ hoc ei denegare juſte liceret. Præterea nihil nobis jucundius accidit, qvam navare & prodeſſe iis, qvi noſtri aliqvando fuerunt. Teſtamur itaqve prædictum Hoffmeiſterum veniſſe in Academiam & in ſtudioſorum numerum legitimo auctoramento cooptatum fuiſſe, Anno 1618. d. 10. Junii, atqve exinde ita vitam inſtituiſſe, uti eum concedet, qvi pieta-

viſ atqve bonarum artium ſe profiteatur cultorem. Nam præterqvam qvod in re ſtudiorum ea diligenter exeqveretur, qvæ ſui officii eſſent, idqve non modo publice auſcultando prælectiones, ſed & privatim qvoqve meditando, legendo & diſſerendo: certe in vita qvoqve & converſatione ſe ita geſſit, ut nullius flagitii atqve criminis ne qvidem apud magiſtratum Academicum unqvam accuſatus fuerit. Ut ita minime dubitare liceat, ipſum, niſi coactus deſerere cœptum ſtudiorum curſum, in utilem aliqvando Eccleſiæ (Theologiæ enim ſe dare meditabatur) Virum evaſurum fuiſſe. Sed id, ut ſupra diximus, iniqvitas illorum temporum impedit, ipſiqve votorum ſuorum ordinem penitus turbavit. Etſi verò ille jamdiu vitæ genus auſpicatus eſt aliud, tamen qvia ipſi hoc minime imputandum, non immerito & adhuc qvoqve ipſum pro noſtro agnoſcimus. Atqve ea de cauſa Tibi, Benevole Lector, de meliore notâ commendamus, ſanctè aſſeverantes veriſſima eſſe omnia, qvæ ſuperius de eo ſumus proteſtati. In qvorum fidem has literas publico Academiæ ſigillo munivimus, perſcriptas Wittebergæ.

CLIII.

TESTIMONIUM

Pauli Hübneri.

Lectori Benevolo

S. P.

BOnis *qvod bene fit, haud perit*, ait ille, qvem decimam Muſam alii, alii leporum & ſalium magiſtrum vocant, hoc eſt, M. Accius Plautus; Te-

 ſtatur

ſtatur hoc ornatiſſimus Juvenis Paulus Hübnerus, Leonenſis Sileſius, qvi cum hactenus Ampliſſimi Senatus Reip. Uratiſlavienſis munificentiâ ſuſtentatus fuerit, nihil antiqvius duxit, qvàm ut caveret ſedulo, ne qvicqvid illud beneficii in ſterili ſegete obſereretur. Itaqve toto hoc biennio, ſerio id adfirmamus, qvo hîc egit bonis literis & præſertim arti æqvi boni ſedulo incubuit, lectiones publicas diſputationesqve aſſidue freqventavit, ad hoc modeſtum, pacificum, pium ſe geſſit ſemper, ut nihil dubitare habeamus, hac viâ ſi pergat, qvin omnia illa, qvæ collata in ipſum hactenus, rectè collata, luculentè olim ſit oſtenſurus. Qvoniam vero ita comparatum eſt, ut antiqviora beneficia ſubvertas, niſi illa poſterioribus cumules, qvod ille πολιτικώτατος Plinius in Epiſtolis ait: qvantum poteſt, rogatos volumus illos qvidem, qvi hactenus ipſi benefecerint, prothymiam iſtam ut ſtrenue pergant, alios vero, ut imitentur, & Juvenis iſtius honeſtiſſimis conatibus favere & adeſſe non intermittant, ἐυχαριςία ξενίων, ὡς ὄιμαι, τὸ κάλλιςον ἀνδρὶ νοῦν ἔχοντι, ait ſvaviſſimus Heliodorus: atqvi à noſtro non gratum animum, ſed & rem ipſam expectabitis, qvicunqve rebus ipſius ibitis proviſum. Id perſvademus nobis, atq; in iſtâ ſpe Te, Bone Lector, ſalvere, & ſimilia exſpectare jubemus. A nobis perſcript. ſignatumqve Wittenbergæ.

CLIV.

CLIV.

TESTIMONIUM
Martini Hoffmanni.

L. S. P.

QVod olim Satyricus de ſuo ævo dixit, *Neſcio, qvomodo bona mentis ſoror eſt paupertas*, id vero de noſtris iſtis temporibus meritiſſimo jure uſurpare poſſumus. Hoc enim ſeculi ingenium, ſi qvis vitiorum inimicus rectum iter vitæ cœpit inſiſtere, primum propter morum differentiam odium habet; Deinde, qvi ſolas exſtruere divitias ſatagunt, nihil inter homines volunt melius credi, qvàm qvod ipſi tenent. Jactantur ita qvacunqve ratione poſſunt, literarum amatores, *ut videantur qvoq;*, ejusdem Satyrici verba ſunt, *infra pecuniam poſiti*. Uſu hoc venit ornatiſſ. Juveni, MARTINO HOFFMANNO Radebergenſi Miſnico, qvi à teneris fere ingente literarum amore percuſſus, in votis nihil majus adhuc habere viſus eſt, qvam ut illam ſtudiorum telam in illuſtri Portenſi gymnaſio ſat auſpicatò & non averſa Pallade exorſam in Academiis detexere tandem feliciterqve poſſet deponere. Et conſecutus dubio procul foret, qvod ingenium ipſius atq; induſtria pollicebantur, niſi illa adverſantis fortunæ hoſtilitas totum ordinem ſtudiorum conturbaſſet, atqve alia experiri ipſum coëgiſſet. Qvod igitur ſolum ſibi præſidium ſupereſſe putabat, innocentiam vitæ, & rectitudinem, qvibus demereri fautores ſibi, & illum improbũ conatum ſortis ſi non retundere totum, certe eludere ex parte poſſet, petiit, earum rerum teſtimo-

nium ipſi perhiberemus. Cujus juſtiſſimis precibus cum injuſtum foret, locum non dare, teſtamur, idq; ex vero, prædictum juvenem triennium apud nos cum dimidio feciſſe; atqve ita feciſſe, ut nihil eorum, qvæ vel ad vitam piè modeſteqve tranſigendam faciunt, vel qvæ ad animi cultum & literarum cognitionem ſpectant, neglexerit unqvam. Itaqve & lectiones diſputationesqve qvà publicas qvà privatas ut ſedulò freqventavit, ita & auſcultavit diligenter. Et eò felicius in ſuis illis ſtudiis promovebat, qvod utriusqve lingvæ doctus & tam latinè qvam græcè paulo accuratius, qvàm vulgo ſolet, ſciebat. Ad hoc Poëticæ qvoqve ita ſtuduit, ut pro re natâ, terſos, venuſtos ac elegantes verſus producere valeat. Qvæ omnia ſi favore digna ſunt, ut certo ſunt, vos, qvi boni, qvi docti eſtis, favebitis conatibus hujus honeſtiſſimi juvenis, ejusqve rebus & rationibus, qvocunqve poteſt modo, luculente ibitis proſpectum, memores illius Publiani, *accipere vos beneficium, cum digno datis*. Vale, Bone Lector, & facito, ut ſentiat iſte Juvenis, non fruſtrà à nobis tibi commendatum. Perſcriptum ſignatumqve Wittenb. &c.

CLV.

Testimonium Samuelis Geelhudii.

Lectori Benevolo

S. P.

QVanqvam juvenes fere *εὐμετάβολοι* ſint, ut ſummus Magiſter Ariſtoteles vocat, hoc eſt, ut Romanus Flaccus interpretatus eſt, *mutan-*

tur

annin horas: nam impetus ille creſcentis augeſcentisqve ſangvinis per varios æſtus abripit eos, nec permittit certum aliqvid eos ſtatuere aut judicare poſſe: tamen Samuel Geelhudius, alumnus diſciplinæ noſtræ hactenus, idem ſemper fuit, & antiqvum ſuum obtinuit. Ut qvod de eo duobus jam annis laudatiſſimi Prædeceſſores noſtri, cum laude ipſius teſtati ſunt, illud ipſum qvove jure meritoqve, imò uberius longe ac copioſius jam commendare habeamus. Non enim ille ſtolidæ inconſultæq; juventuti indulſit, ſed bonis literis, qvarum beneficio didicit frenos imponere improvidæ menti. Itaqve præter lingvarum ſtudia, qvæ diligenter habuit, Philoſophicum qvoqve orbem, qvantum futuro Theologo ſat eſt, perluſtravit. Nam qvod ſpinoſis illis & acutis qvæſtiunculis ſe daret, operoſum potius qvàm fructuoſum reputabat. Scilicet exemplum magni illius Baſilii ſecutus, qvem tradunt, ex omnibus artibus Philoſophicis potiora delegiſſe, minuta illa & ſine pondere reliqviſſe & præteriiſſe. Laudabile verò & cordatum inſtitutum! Etenim ut ille vetus Græcus Senarius habet:

Ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, ἐχ ὁ πόλλ' εἰδὼς, σοφός.

Qvi fructuoſa, non qvi multa ſcit, ſapit.

Sed & in vià morum perſtitit, & nobis certè non ſolum diligentiam ſuam atqve induſtriam in ſtudiis, ſed & vitæ probitatem modeſtiamqve hactenus luculenter probavit. Qvæ omnia ut de eo verè conteſtamur, ita eos rogamus omnes, in qvorum manu eſt, juvare tales, frugem in virtutis & literarum ſtudiis facturos, ut juvenis hu-

jus laudatiſſimos conatus ſedulo promoveant ac ornent, certò ſibi perſvadentes, qvicqvid in eum collatum fuerit, rectè & pulcherrimè collatum eſſe. Perſcr. Witteb.

Seqvuntur

Commendationes Candidatorum

Magiſterii ad Decanum.

CLVI.

COMMENDATIO

Chriſtophori Cromanni.

R*Em tibi, qvam noſces aptam, dimittere noli:*
Fronte capillata eſt poſt hæc occaſio calva;

monet Poëta. Qvapropter qvum ornatiſſimus iſte Juvenis *Chriſtophorus Cromannus Dreſdenſis*, Civis meus, ſecum recogitaret, Spectabilem tuam Dignitatem omnibus iis, qvi in ſtudiis Philoſophicis diligentem poſuiſſent operam, ſeqve collegio noſtro Philoſophico probaturos conſiderent, Magiſterii titulum publicè à ſe collatum iri benevolè prorſus atqve benignè publico expromiſiſſe programmate, noluit hanc tam præclaram occaſionem prætermittere; Sed qvod jam dudum res ejus provehendæ in melius flagitarent qvodammodo, patroni præterea & Mecœnates videbantur ſvadere, experiri, hoc eſt, prædictos honores philoſophicos eâ, qvâ par eſt, ambire modeſtia, nomenq; ſuum apud S. T. D. profiteri aggreſſus eſt. Qvia verò id ipſum exeqvi tum leges noſtræ, tum ſuus ſibi innatus pudor non ſinit, mihi eas partes demandare voluit, hoc eſt, inſtitutum conatusqve ſuos ſpecl. Tuæ Dign.

com-

commendare. Qvamqvam multa ſint, qvæ de vitâ ejus & ſtudiis afferre habeam: qvippe qvi à multis jam annis mihi oppido bene notus, nolo tamen laudatorem moleſtum agere, & negotia tua per longa exorſa plus juſto detinere; imò fraudare. Hoc igitur affirmo tibi, eum ſemper & bonam mentem amaſſe & Muſas; eas ſerio coluiſſe, in qve lingvarum & Philoſophiæ ſtudiis egregium in modum promoviſſe. Adeò, ut jam diu in altiora ſe penitrare potuerit, niſi nobiliſſimis ingenii conatibus fortuna paulò iniqvior obſtitiſſet. Qvæ certè ei ita irata extitit, ut non ſolum parum ex animi ſententiâ, qvum hic verſatus, ſua tractare poſſet ſtudia; Sed ut coactus etiam fuerit, Academiam noſtram relinqvere, & ut tenere tueriqve vitam poſſet ſuam, aliis operam in formandis pueris elocare. In qvâ tamen provinciâ ita ſe geſſit, ut ii, qvi ejus operâ uſi, induſtriam laudent, dexteritatem penè admirentur. Qvæ qvum ita ſeſe habeant, & favore omnium ſtudioqve digna ſint, ea propter à S. T. D. rogo, peto, ut juvenem iſtum in Candidatos adſcribas, ei examina privata publicaqve aperias, ſuo tempore ad expetitos honores promoveas; in ſummâ: eô loco habeas, qvo haberi ipſe velis, ſi qvem meæ fidei commendâſſes. Dabimus operam, ut qvicqvid hac in parte vel virtuti Candidati vel meæ interceſſioni dederis, non fruſtrà dederis: ſed abundè intelligas hoc ſive officium ſive beneficium apud utrumqve noſtrum non in ſterili ingrataqve ſegete, ut cum veteri Poëta dicam, te obſeviſſe.

U 5 CLVII.

CLVII.

Commendatio

N. N. Hamburgenſis.

QVæ res impræſentiarum expedienda mihi, Vir Clariſſime, expediam paucis, nec ambagio ſæ orationis laciniofo textu negotia tua detinebo. Juvenis iſte Ornatiſſimus & Humanus, Gente Saxo, Hamburgenſis domo, à parentibus honeſtiſſimis & civibus primariis genitus, qvod videret non leve præſidium, adde etiam calcar profuturum, honores magiſterii publicos petere inſtituit, & mecum eâ de re deliberavit. Ego verò tantum abeſt, ut ipſi diſſvâſerim, ut potius auctor fuerim, ut propoſitum urgeret, & ſeqveretur, qvo virtus ipſius, qvò Ampliſſimi Collegii noſtri benevolentia & humanitas vocent. Nam cum adverterem, ipſum & ingenuis compoſitum moribus, vitæ integrum, &, qvod caput eſt, omni liberali doctrinâ ac humanitate perpolitum, præcipue in erudito illo pulvere & Mathematicis perqvam verſatum, adhoc Hebraicæ lingvæ cognitione paucis conferendum, dolebam fere, non poſſidere ipſum ea, qvæ diu meruiſſe videbatur. Paruit verò adhortanti, & ecce jam apud te V. C. ſuum profitetur nomen, & ut inter Candidatos conſcribatur, qvantum poteſt, rogat, obſecrat, meis qvidem verbis, ſed ſuo animo, nam loqvi ipſum modeſtia non ſinit. Non profanus accedit ad iſtud honoris ſacrarium, eruditione initiatus, virtute luſtratus. Vide integritatem vitæ, morum compoſitionem in ipſo vultu loqventem; Periclitare doctrinam ejus, advertes ipſum &

omni liberali doctrinâ atqve humanitate perpolitum, & præcipuè in docto illo pulvere, qvem dixi, diſciplinisqve Mathematicis perqvam verſatum eſſe. Audies latina eleganter, pulchrè græca, hebræa cum paucis loqventem, ut diu dignum honore ipſemet putare, nondum mactum mirari poſſis. Favebis itaqve ornatiſſimi hujus juvenis conatibus, & ea me tibi maximè commendatum habebis; illud Plinianum reputans, *Egregium eſſe mereri beneficia & dare.* Neqve certè eum oblivio hujus capiet; memor erit ejus perpetuo, laborabitqve adeo non ſegniter, ut in meritum & gnarum iſtud collocâſſe animadvertas. Ipſe qvoqve faxim, ne ullo officio tibi deſim.

CLVIII.

COMMENDATIO ALIA

N. N.

Collegii Philoſophici

Decane ſpectabilis,

VIR

Ampliſſime Atq; Excellentiſſime,

Domine Collega ac Fautor maximopere colende & honorande!

ETſi opus non erat, ut tibi præſentem iſtum Præſtantiſſimum Dominum N. accuratius commendarem, cùm nec vendibile vinum hedera, nec Tu me monitore indigeas, qvi ſuggerat, qvæ ad vitam, mores, ac eruditionem deniqve ſpectant: Tamen gerendus mos eſt Collegii noſtri ſtatutis, & itaqve ſic faciendum, non neceſſitate aliqvâ, ſed veteri inſtituto. Nam ſive locum

cum,qvo ortus noſter,ſive parentes, ſive educationem,atqve ipſos magiſtros ducesqve reſpiciam, ſub qvibus ad frugalitatem iſtam profecit, omnia ita Tibi,Decane Spectatiſſime, nota ſunt, ut tædio ſim futurus in iſtis prolixius exponendis. Sed tamen ſilendum non eſt, Torgenſem Scholam non paucos omni tempore prodidiſſe eruditos diſcipulos, qvorum fama non tam ipſos, qvàm Lycæum illud ſemper illuſtravit. Ac itaqve gratulandum merito eſt ejus Scholæ Præceptoribus, in iisqve præcipuè, qvi præſunt cæteris,qvorum ingenti operâ atqve ſtudio poſt Deum adeò fit,ut iſta ſibi qvaſi Trojanus eqvus perpetuo conſtet. Ad qvam cum vigil acceſſerit induſtria hactenus, qvid non boni ac ſingularis promittere ipſe de ſe poſſit? Venit ad nos majoris capeſſendi cultus ergo ante hos ipſos duos an̄os, talemqve ex eo ſe geſſit tempore, qvalem & decet civem bonum, & bonorum omnium qvoqve exſpectatio reqvirebat. Qvod ut clarius dicam, nemini unqvam gravis fuit aut moleſtus, cæterum tam probus ac pius,ut eo nomine præcipue æſtimandus ſit. In ſcholis autem tam privatis qvam publicis, qvam conſtantem, qvam aſſiduum ſe præſtitit? Teſtantur id prælectiones publicæ Clariſſimorum Virorum,publicorum Profeſſorum. Teſtantur privatæ acroaſes ſub doctiſſimis ducibus,N N. ex qvibus omnem Logicam non tantū,ſed & Metaphyſicam, Phyſicamqve ac Mathematicam doctrinam feliciter hauſit. Teſtantur deniqve tuæ, Decane Ampliſſime, exercitationes cum Metaphyſicæ,tum aliæ, qvibus magno-

magno cum commodo interfuit Noſter. Neqve fruſtrà hæc me ſcripſiſſe argumento eſſe poſſunt, binæ publicè ab iſto habitæ diſputationes. Nunc itaqve qvum geſtiat laborum ſuorum reportare non improbabilem fructum, me adiit, petiitqve reverenter, Tuæ ut Spectabilitati ſe traderem de meliori notâ, & commendarem. Cujus petitioni tantò faciliùs reliqvi locum, qvò par magis eſt, ut virtuti præmium ſuum tribuatur: Qvare ipſius nomine peto officioſe, velis, Spectatiſſime Vir, hunc N. noſtrum non tantum benevole recipere in Candidatorum numerum, ſed & poteſtatem eidem facere ſubeundi examen tum privatum, tum publicum. Qvod ſi feceris, hominem Tibi iſtum mirè devincies, & ego qvoq; in id daturus operam ſedulo ſemper ſum, ut officia mea ac ſtudia Tibi nunqvam non probem. Ex Muſeo ad d. 6. Oct. 1660.

CLIX.
COMMENDATIO
N. N. Bitterfeldenſis.

DECANE SPECTABILIS!

UT nulli præcluſa virtus eſt, ſic & honor. Itaqve qvod novæ ſuæ dignitati, qvam in Eccleſiâ patria nuper conſecutus eſt ornatiſſimus iſte juvenis, majus decus conciliaturum ſe arbitraretur, conſtituit ſecum aditum ad magiſterii titulum petere, idqve me interprete & qvaſi patrono. Eſt ille honoratiſſimis ac honeſtiſſimis parentib9 genitus Bitterfeldæ, artium liberalium & Philoſophiæ cognitione, ſi non qvantum perfecto Philoſopho, certe, ut mihi perſvadeo, qvantũ Theo-

logo

logo opus eſt, inſtructus. Moribus præterea vitæqve integritate adeò probatus, ut dignus exiſtimatus fuerit, cui ſacra committerentur. Atqve cum iſta ita ſeſe habeant, rogo qvæſoqve ipſius nomine Spectab. Tuam Dignitatem, ut eum inter Philoſophiæ Candidatos referat, ipſiq; copiam ingrediundi examinis faciat. Qvod ſi impetravero à Sp. T. D. erit, de qvo & ipſe, & ornatiſſimus ille juvenis debeat. Et laborabimus certe uterqve, ut iſtud beneficii non in ſterili te obſeviſſe ſegete intelligas.

CLX.

Commendatio
Chriſtoph. Jegersdörfferi.

Spectabilis Domine Decane, Clariſſime ac Excellentiſſime Vir,

Collega atqve amice ſingulariter honorande!

Facile eqvidem conjectare poteris, cujus potiſſimum rei gratiâ ante T. S. D. nos comparere voluerimus, ut longioribus explicare prorſus idem mihi videatur, qvam memorem immemorem facere. Commendari tibi à me petiit Ornatiſſimus, qvem vides, Juvenis; qvod eò libentius facio, qvantò plus meret, eo brevius; qvanto magis ſtudia ipſius nota tibi anteà & perſpecta ſatis. Non ita diu eſt, cum & tua Spectabilis Dignitas & reliqvi Patres Collegii noſtri juvenem iſtum Christophorum Jegersdörfferum dignum maxime putavit, cui profeſſorium munus concredatur. Qvo ergo tum favore ipſum Sereniſſimo Electori nobiſcum commendâſti,

eodem etiã ut jam complectaris a me commendatum tibi, magnoperè qvæſo. Ac ſi meruiſſe viſus eſt olim inter Patres conſpici, fac qvæſo, qvod meret, honoratiſſimo, qvàm poteſt, loco inter Magiſterii Candidatos ut conſpiciatur. Me ſanè fateor aliàs tibi obſtrictum ſatis, majora tamen debere fatebor, ſi locum precibus iſtis juſtis concedes. Elaborabit id qvoqve ſedulo iſte meus, ut beneficium iſtud non in ſterili agro obſeviſſe cognoſcas.

CLXI.

COMMENDATIO ALIA
Johannis Brechlini.

Spectab. Dne. Decane &c.

CUm ornatiſſimus iſte atqve humaniſſimus Vir JOH. BRECHLINIUS, Holſatus, è re ſua eſſe videret, idqve Patroni ſvaderent unicè, & tantùm non urgerent, Magiſterii philoſophici lauream modeſtè ambire, petiit à me, ut Spectabili Tuæ Dignitati, qvem brabeutem deſignatoremq; Collegium noſtrum Ampliſſimum conſtituit, de meliore, qvod dicitur, nota conatus ſuos commendarem. In qvo qvidem petitioni ejus deeſſe nec honeſtè potui, nec debui etiam. Nam ut nihil dicam de meis modo, qvas ago, partibus, qvarum id omnino videtur eſſe, nefas certè, qvi in bonis doctis nomen dedit, non adeſſe iis, qvi ad honeſta tendunt, eosqve qvantum poteſt evehere ac promovere. Horatius qvidem monet:

Qvalem commendes etiam atq; etiam adſpice,
Incutiant aliena tibi peccata pudorem. (ne mox
Fallimur & qvondam non dignum tradimus.

Ego

Ego verò,etſi hactenus non ita mihi notus fuerit, qvem tibi adduco Candidatum; tamen minimè falli me deputo,qvem certò ſpero atqve confido, eos in ſtadio Philoſophiæ & liberalium artium feciſſe profectus, qvi digniſſimi ſint, iſto, qvem ſuppliciter petit uniçèqve adſpirat hactenus,honore.Nam niſi ita eſſet,neqve profectò hactenus ſpartæ ſuæ ſcholaſticæ tam inſigniter & cum laude potuiſſet præeſſe, neqve ad altiora vocaretur modò.Qvapropter etiam atqve etiam à Tua Sp. D. peto atqve contendo, ut benevolenti animo tuo complecti eum, & inter Philoſoph.Candidatos conſcribere, tandemq; cum virtutem doctrinamqve ſuam probarit,de qvo nihil dubito, illo literati laboris præmio condignè mactare velis. Qvidqvid hac in parte benefici in eum conferes, in gratum & munem & memorem conferes. De me verô faxim,ut iſtam inſignem benevolentiam tuam ſtudiumq; in eos, qvi à me commendantur tibi, qvibus potero officiis, dignè demerear.

CLXII.

COMMENDATIO Georgii Fabelii.

Decane Spectabilis!

NEmo *libenter recolit, qvi leſit, locum,* inqvit Svaviſſimus Poëta Phædrus. Cui illud Senecæ geminum: *Nemo libenter ad id redit, qvod non ſine tormento cogitaturus eſt.* At vero ubi qvid boni aliqvoties obvenit, eò gaudemus redire,ſperantes ſcilicet fortunam ibi nobis ſemper fore ridentem. Ego certè, Decane ſpectabilis, qvò benigniùs mihi & iis, qvos hactenus fidei

tuæ

tuæ commendavi Candidatos, favorem tuum oſtendit, eò libentius ſanè alacriusqve jam rurſum adeo,perſvaſiſſimum mihi habens ſcilicet,& cum antiqvo te tuo more me accepturũ & qvem commendatum eo favori ac benevolentiæ tuæ Candidatũ,ſerenâ, qvod dicitur, fronte in patrocinium tuum ſuſcepturum. Is eſt GEORGIUS FABELIUS Lunæburgenſis, Vir ornatiſſimus atqve doctiſſimus;homo mihi ſat bene cognitus, tibi verò non omninò ignotus. Qvi qvod è re ſuâ eſſe adverteret, idqve Patroni ſui ſvaderent unicè,conſtituit nomen ſuum apud te legitimum Brabeutem & deſignatorem modo profiteri & rogare adeo, me qvidem Interprete,carceres ſibi hos aperiri & honoris ſtadium liceat, decertatoqve hoc agone muſico, virtuteqve ſua luculenter probata promeritâ laurea recingi & coronari. Qvod qvidem inſtitutum ipſius tantum abeſt, ut ſub reprehenſionem vocari poſſit,ut potius puncta omnium atqve applauſus mereri videatur. Decet qvippe omnes eos audire & ſeqvi,qvi non vulgariter de nobis meriti, qvi beneficii ſui & muneris fecere nos totos. Et alias qvoqve *præclara illa ingenia eſſe reputanda ſunt,qvæ honore & gloriâ invitantur*, ſi ſummo eloqventiæ an & ſapientiæ qvoqve Magiſtro Tullio credimus. Cæterum, qvod, qvem adduco tibi Candidatum D. S. commendem pluribus, ſupervacaneum fore putavi. Tum qvod aliàs tibi de eo conſtet, tum qvod ipſe à ſe & virtute ſuâ id longè melius præſtare poterit. Attamen ne fortaſſean partes

meas parum ſedulò & bona fide egiſſe videar, pauca ſaltem de ipſo perſtringam. Sex ſeptem anni ſunt, qvum ex Academiâ iſtâ noſtrâ diſceſſit, ejus triennium & ſupra alumnus. Vocabatur enim in patriam, ut aſſignatam ſibi ſcholaſticam provinciam in ſe ſuſciperet; qvod & fecit qvoq; atqve ei hactenus ita præfuit, ut & qvi ejus commiſſi fidei, egregie promoverent, & ipſe verò ſibi apud omnes optimi Magiſtri nomẽ compararet. Qvanqvam vero hactenus, dum in iſto piſtrino ſcholaſtico miſere exercetur, non ſimilem operam Philoſophiæ ſtudiis impendere potuit, atq; dum hic verſaretur olim, qvi qvantum in eâ profeciſſet, & publico qvoqve non ſemel approbavit: tamen non omninò deſeruit, & qvanqvam præcipuè Theologiæ, in qva certè tales progreſſus fecit, qvi principum Theologorum cenſuram ſuſtineant, ſe dederit, tamen & ad Pallada noſtram, velut ſolent, qvi duas amicas depereunt, furtivâ molitione ſubinde commeavit. Cæterum lingvarum & Humanitatis ſtudia qvod attinet, certe ita ſeſe impigrum præſtitit, ut ſeipſo melior doctiorqve, certe non multis comparandus hic mihi videatur. Qvod qvidem eo fortiùs affirmo tibi, qvò magis id mihi ex domeſticâ mutuaqve converſatione hactenus liqvido ſatis cognitum atqve perſpectum. Cumqve omnia ita ſeſe habeant, peto à Spect. D. T. ut Candidato huic noſtro hoc honoris templum lubens volens patefacere, ipſumqve qvàm commendatiſſimum ſibi in promovendo atqve qvam maximè exornan-

nan-

nando hoſce ejus honeſtiſſimos conatus habere velit. Tum qvia & meretur inſigniter eruditione non ſolùm, ſed & profeſſione ſua, qvàm qvo moleſtiorem habet, eò favorabiliorem meritò experitur. Neqve dubito ſanè, qvi tuus animus in omnes bonos doctosq; eſt; qvin ita eum habiturus ſis, qvalem à me haberi velles, ſi qvem meæ fidei commendares. Age itaqve & de merenti bene merere: qvi certe digne æſtimabit, qvidqvid in eum conferes, atqve id operam dabit ſedulo, ut beneficium tuum non in ſterili ſegete obſeviſſe intelligas. Ego verò in benevolentiâ tuâ atqve humanitate plus plusqve confidam, porrò eamqve & dignis ferre laudibus, & aſſiduis demereri officiis usqve ſtudebo.

CXLIII.

COMMENDATIO

Alius cujusdam Candidati.

N*Emo libenter recolit, qui læſit, locum*, ait doctiſſimus libertus Tiberii Phrædrus. Itaqve ubi nobis aliqvid boni obtigit, eò cum voluptate qvadam reverti geſtimus. Certe cum aliqvoties hactenus à te, Spectabilis Decane, tam benevolè atqve benigne admiſſus auditusqve ſim, nunc ſanè ad te & optimæ ſpei & ſummi gaudii plenus reviſo, tuæ fidei hunc eqvidem Candidatũ commendaturus. Is cùm communicaſſet mecũ, ſe juſſũ à ſuis, ut hoc temporis ſupremos in Philoſophica palæſtra honores peteret, tantũ abeſt, ut ei dehortator fuerim, ut potius omnes ſubjecerim faces, urgeret propoſitum, & ſeqveretur, qvò

bus actionibus præfari carmen; qvanto magis id Chriſtiano uſurpandum homini atq; colendum eſt. Omiſſis igitur aliis omnibus, principio Deo immortali magnas imò ingentes ago habeoqve gratias, qvod in hoc rerum turbulentiſſimo ſtatu, & nimis crepera, ut Lucretius loqvitur, tempeſtate nos inconcuſſos ſervavit hactenus. Nam, qvum multæ aliæ gentes, atqve etiam finitimæ jam nihil qvàm cædes, rapinas, expilationes, incendia & omnia peſtifera alia ac exitioſa aut patiantur, aut paſſuros ſe certò provideant, ſane nos nihil ejusmodi ſumus experti, nullaqve alia calere bella videntur, qvàm qvæ ſine cæde & ſangvine indies contra perpetuos literariæ noſtræ Reip. hoſtes, inſcitiam & ignorantiam, perpetuò apud nos depugnantur. Qvâ qvidem re qvid homini qvietis amanti magis expeti, qvid ad conſervanda ſtudia noſtra, ipſam adeò Academiam florentem vigentemqve aſſerendã poſteris facere qveat, non video. Et propterea ſummum illum æternumqve Deum totis animis rogamus ac veneramur, ut propria hæc, ut perpetua nobis faciat, & aurea iſta Pacis ſerena nullâ vel bellorum vel turbarum nube temerari permittat. Detumeant lenianturqve paſſim iræ, & ferocientium animorũ impetus utili moderatione componi ſe patiantur. Conſulat tandem ſibi humanum genus, & qvos ferri rabies efferavit hactenus, pacis ſtudium naturæ ſuæ redonet. Qvod ſi improbum votum fuerit, ac ſaltim Chriſtiano orbi, ſaltem patriæ noſtræ tranqvilli-

tas,pax,concordia remaneant. *Contineat ut cum* Manilio dicam,

- - Adamanteis diſcordia vincta catenis
Perpetuos habeat frenos in carcere clauſa.

Nunc ad te,Spectabilis Decane, Procancellarie dignisſime,me converto,& id,cujus proprie gratia has dicendi in me ſuſcepi partes,expedio. Ornatiſſimi & honeſtiſſimi juvenes, numero 39. ſuperioribus diebus nomina ſua,tum apud te, tū totum collegium noſtrum profeſſi ſunt, & quos in Philoſophia honores habemus ſummos,cupide ambierunt. Quorum honeſtiſſimum inſtitutum non probâſti modo,& benevolâ animi affectione es proſeqvutus,ſed & privatis qvibusdam experimentis in eruditionem eorum atqve doctrinam tum ipſemet, tum alii noſtri ordinis,qvi ad eam rem peculiariter deſtinati, explorâſti. Et qvoniam prædicti illi optimi Juvenes in publicam jam arenam progredi,ſuæqve virtutis ac doctrinæ omnibus,qvi non alieni horum ſacrorum atq; profani ſunt,experimenta fieri expetunt, & ita ad palmam brabeumqve per legitimos certaminum gradus graſſari, rationem comminiſci non poſſum,cur eorum vota moranda amplius ſint ac ſuſpendenda. Et propterea eorum nomine abs te,Decane Spectabilis,officioſe ac peramanter rogo,ut recludas ipſis hos,ut ita dicam,carceres,& tanqvam legitimus prætor hos ludos atq; agonas Muſicos committas. Qva in parte feceris, qvod tui officii ratio poſtulat,& præſentes hi Candidati vovent unice atqve ſuſpirant. Qvi

certe

certè ſedulò dabunt operam, ut in ſe collati officii genus rectè æſtiment, atq; adeò, ut Poëta ait,

Semper apud memores tanti ſtet gratia facti.

Ego qvoqve mihi ſerio gratulabor, gaudeboqve, me non fruſtrà apud te petitionem iſthanc inſtituiſſe.

CLXV.
COMMENDATIO
XXX. Candidatorum Promotionem
in actu publico antegreſſa.

DECANE SPECTABILIS!

EA Romani Imperii potentia majeſtasqve fuit, ut eosdem haberet terminos, qvos mundus, & qvædam qvaſi *terrarum Dea gentiumq; cui nihil qvicqvam par ſecundumve eſſet* crederetur. At vero noſtris hodiè temporibibus in tantum mutavit, tam acciſum miſere vexatumqve jacet, ut priſtini roboris & dignitatis vix tenuem ſpeciem ac umbram ſuperare credendum ſit. Adeò nihil qvicqvam magnum æternumq; eſt: neqve ullius rei tanta præſtantia ac pulchritudò unqvam exiſtit, qvæ ſenium & communem fati legem deprecari potuiſſet. Cæterum qvum ſanitatis initium ſit, cognôſſe morbos, pro bono utiliqve feciſti, Decane Spectabilis, qvi luculentâ eruditaqve oratione, qvomodo laborare primum, & deinde, augente ſenſim ſenſimqve malo, corpus viresqve amittere cœperit, donec decubuit qvaſi penitus, & infra ſpem ſanitatis ægrotavit, explicare ac præter omnium ponere oculos voluiſti. In qvam qvidem ſententiam plura da-

tis luculenter ſatis probarunt. Qvia igitur ſua merentibus præmia tribui & decet eqvidem & Reip.intereſt,à te,Spectabilis Decane,Procancellarie digniſſime, prædictorum triginta Candidatorum nomine,etiam atqve etiam peto rogoqve, ut,qvicqvid in hac qvaſi Rhodo ſaltandum videtur reſtare,ordine deſultes, &c.

F I N I S.

VITTORIO ... BIBLIOTECA ... IN ROMA

INDEX

INDEX I.

Eorum, ad qvos hæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt.

Conrado Bachmanno XCI. XCII. XCIII. XCIV. XCV.
Caſpari Barthio LXXIII. LXXIV. LXXV. LXXVI. LXXVII.
M. Conrado Bavaro IV. V. LXXXVI. LXXXVII. LXXXVIII. LXXXIX. XC.
Rudolpho à Brand XVII.
Henningio Broſenio CXXXII.
Conrado Davidi Büchero IX.
Chriſtophoro Colero XLVII.
Caſpari Conrado CXVI. CXVII. CXVIII.
Regi Daniæ XVIII.
Geverhardo Elmenhorſtio CXXVI.
Jacobo Fabritio XLVI.
Henrico à Friſen XXXIX. XLI. XLIII. LVIII.
Carolo à Friſen XL.
G. F. XXV.
Jano Gebhardo XVI.
Jano Grutero LXIX. LXX. LXXI. LXXII.
Friderico Günthero L.
Joachimo Hagmeiero X. XI. XII. XIII. XIV. XV.

Dani-

Danieli Heinſio XX.
Henrico Herzvvigio CXII.
D. Matthiæ Hoë LXVII. LXVIII.
Conrado Hornejo CXXV.
Tobiæ Hübnero CXXIV.
Jacobo Jano CXIII.
Johanni GeorgioKetten XXVI.
Thomæ Kempfero CXVII.
Henrico Kitſchio LXXVIII. LXXIX. LXXX.
LXXXI. LXXXII. LXXXIII.
Chriſtiano Klengelio CIV. CV. CVI. CVII.
CVIII. CIX.
Henrico Meibomio CXI.
Balthaſari Meiſnero CXXIX.
Joachimo Meiſnero II, III. XXVII. XXIX.
Michaëli Meiſnero VI. CXV.
Friderico à Merſch. VIII.
Joachimo Morſio LI. XCVII.
B. G. Nüslero LIII.
Martino Opitio CXIX. CXX.
Michaeli Piccarto LXXXV.
Henrico Günthero Platnero XCVIII. XCIX.
C. CI. CII. CIII.
Ottoni Prætorio XXXV.
Reichardo CXXI.
M. Jacobo Reichmanno XXXVIII. XLII.
Matthæo Reimanno CXIV.
Andreæ Rivino XXIII.
J. D. à S. LII.
Godofredo Schneidero XXXII.
Conrado Victori Schneidero XXII.

Caſpari Abrahamo à Schönberg XLV.
Johanni Nicolao à Schönfeld XXXVI.
Ægidio Schurick LV
Jano Seuſſio LX. LXI. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. CXLVI.
Jeremiæ Spigelio L.
Ægidio Strauchio LIV.
Johanni Georgio Styrcelio XXI. XXIV.
Georgio Thurzoni Palatino Ungariæ CXXIII. CXXX. CXXXI.
M. Johanni Vogelhaupt XXX. XXXI. XXXIII. XXXIV. XXXVII. XLIV.
Academiæ Wittenbergenſi VII.
Wittramo, Conſiliario Regis Daniæ XVI.
N. N. XIX, XLVIII. LVI. LVII. LX. LXXXIV. CX.
Facultatis Medicæ Decano CXXVII.
Conſilium de rectè inſtituendis ſtudiis CXXVIII.
Nomine Studioſi XLXIX.
Johanni Chriſtophoro nepoti ſuo XXVIII.

Teſtimonia Academica.

Bodo à Bodenhauſen CXXXIX.
Balthaſaris à Bothmar CXL.
Gabrielis Cunſchii CXLVIII.
Alexandri Esken CXLI.
Samuelis Geelhudii CXLII. CXLV.
Petri Pauli Hagerii CXXXVI.
Johannis Haueri CXXXVII.

Johan.

Johannis Heinzelmanni CXLIX.
M. Tobiæ Henckelii CXLV.
Martini Hoffmanni CLIV.
Nicolai Hoffmeiſteri CLII.
Pauli Hübneri CLIII.
Joachimi Friderici à Luderiz CXLIII.
Michelmanni CXXXIV.
Gottlieb Erneſti à Præk CXXXV.
Caſparis Abrahami à Schönberg CXXXIII.
Werneri à Schulenburg CXXXVIII.
Johannis Seuſſii CXLVI.
Pauli Siavolæ CLI.
Sebaldi Thomæ CL.
Valentini Tragenii CXLVII.
Andreæ Uſvvaldi CXLIV.

Commendationes Candidatorum
Magiſterii ad Decanum.

Joh. Brechlini CLXI.
Chriſtophori Cromanni CLVI.
Georgi Fabelii CLXII.
Chriſtophori Jegersdorfferi CLX.
N. N. CLVII. CLVIII. CLIX. CLXIII.
XXXIX. Candidatorum CLXIV.
XXX. Candidatorum CLXV.

Digitized by Google

INDEX II.
RERUM

ACademia Witteb. 35. 90
Acidalius 123
Achaja ludis dedita 196
Activum in morem deponentis uſurpatur 267
Adoleſcentia lenitate regenda 132
Adoleſcentes dictionem affectatam amant 69
Aëris incolæ 46
Ægyptii multa ab Hebræis didicerunt 47
Ænigma 183
Æona Valentiniani 55
Æs alienum 129
Æſculapius Medicinæ præſes 87
Ætas taſca 118
Alid 117. ſeqq.
Alis 122
Alnetum cœnobium 241
Altaria veterum Chriſtianorum 132
Amantes non ſapiunt 5. ad ſuſpicionem proclives ſunt 165
Amantium affectus tener 226. deſiderium 193
Amicitia Euriali Hirtacidisque celebris 2 8
Amici dulces 210. 218

Ami-

Amicis quoqve inſerviendum 111
Ammianus Lindenbrogii, Valeſii 28. 29
Amor ſemper timet 64. *ejus vis* 163. *parentum erga liberos* 105
Angelus 47
Animarum luſtrationes 134. *in centro terræ detineri eas qvidam ſtatuunt* 133
Animus invictus 20. *ætate creſcit* 22
Annibali genius apparet 51
Annona gravitas 25
Apina qvid? 251
Apologeticus Iungii 27
Ariſtænetus 210
Ariolari res fallax 74
Aſini encomium 166. *Kitſchii* 168
Avaritia hodierna 116
Auctores qvomodo legendi 67. 74. *ſeqq. veteres novitiis præſtant* 123
Augurum Romanorum ſuperſtitio 2
Aulæi 119

B.

Balſaci epiſtola 25
Banirus ad Brandiſum caſtra munit 26
Baptiſmus pro mortuis Calendis Febr. fiebat 133
Baptiſteria veterum Chriſtianorum 132
Barthii elogium 162
Baſilius ex artibus optima elegit 407
Bellorum incommoda 18. 43
Bibliopolium Catullo dicitur libellus 145
Rudolphus à Brand ad Belgas proficiſcitur 42
Blum (Michael) Diaconus Wittenbergenſis 141

Buch-

Buchnerus Profeſſ. eloquentiæ ambit. 8. ſeqq. Reſtoratus Portenſis ei offertur 8. de eo ſuſcipiendo dubius eſt 136. ſeqq. Hamburgenſis 9. Virgilium edit 124. Plinium 43. in Tibullum aliquid meditatur 153. Florum interpretatur 128. ejus querela de ſtipendiis 128. de ſilentio Seuſſii 139. ſeq. modeſtia 198. 227. ſomnium de Barthio 164. in conſcribenda Grammatica operam ſuã confert 145. ὀφθαλμίᾳ laborat. 86

C.

Cæſaris poteſtas 19

Cæſar (Jul.) multa ſimul egit 200. ejus dictio pura 69. 76

Calamitates proſunt 95. harum Deus eſt auctor 154. 173

Camurus 119

Capedunculi 192

Capidines 192

Capræ cephalinia 187

Carminum diſparitas 122

Carpzovii JCti obitus 33

Dio Caſſius monitu Dei hiſtoriam ſcripſit 51

Caſtigatio amica 241

Caſtoris ſidus 90

Catholiciſſimus Superlat. 244

Catholicus Regis Hiſp. Tit. 245

Catulli auctoritas 121. ſcripta 122. Avantius eum edidit 120

Color deſcribitur 191

Chria-

Chriarum utilitas 237
Χρηματισμοὶ quid 49
Chriſtiani ubi preces fuderint, cum templa nondũ eſſent 132
Chriſtianiſſimus dicitur Rex Gall. 245
Chriſtum utriusq́; ſexus fingebant Valentiniani 55
Ciceronis nomen unde? 251. *orationes* 76. 236. *ſcripta potiſſima* 58. *Epiſtolæ* 76. *Cic. unus inſtar omnium* 77. 80. *Eloqventiæ parens.* 18. *Mureto præfertur.* 68
Claudere 3
Claudi mantica, proverbium 249
Claudianus 69. 143
Commendatitiæ lit. 41. 42. 82. 97. 141. 272 *ſq. conf. Teſt. Academica* 275. *ſeqq.*
Conjugium venuſtè deſcriptum 4
Conſolatoria 6. *in obitum ſoceri* 83. *Patris* 92. *avi* 211
Conſvetudinis magna vis 62 70
Converſatio 62. *cum doctis grata* 7. 125. *cum malis noxia* 288. 292
Copia dicendorum ſylvæ comparatur. 19
Credulitas 2
Curtius ad eloqventiam an ſufficiat? 74. 77. 78
Cypriani cœna dubia 60
Joh. Pauli Czarncovii anni Jubilei elogium 239 *ſeq.*

D.

Dæmon quid ſit? 46. *ſeqq.*
Dæmonum diverſus ſexus 53
Dæmonis juſſu impelli quid ſignificet? 45. 50

T

Da-

Daniæ Rex pro Academia Witteb. intercedit 35. 39
Dapatilis 118
Debitores apud Romanos vincti ducebantur 110
Declamatores 79
Democriti fundus 152
Denarius numerus 22
Deponentia paſſive uſurpata 246
Deſpota Dacia 109
Deus quid ſignificet apud gentes 51
ejus conſilio regimur 6. *providentia circa vitam & mortem hominis* 94
In Deum pietas commendatur 70
Inter Deos & dæmones diſcrimen 51
Dei contemtus 70
Deus Socratis 46. 48
Dii Medioxumi 46. *Patellarii* 52. *utriusq; ſexus* 54
Diaconorum & Presbyterorum diſcrimen 260
Diatyra quid 195
Dicendi genus multiplex 75. *civile* 78
mutatione generis Varro ſæpe utitur 220. *ſeq.*
Diſciplinæ acerbitas multum nocet 137
Diſputationes utiles 278
Dolor crudus non recipit ſolatia 6
Dominatio unde dicta 244
Duonus 118

E.

Ebrietas ad inſaniam iter ſternit 180
Eccleſiæ doctoris officium 255
Effringius 110
Elector Palatinus Saxoniæ Elector. quatuor equis donat 169

Ele-

Elegia, Elegiaca 122
Elementa omnia inhabitari ſtatuit Pythagoras 45 *ſeqq.*
Eloquentia vera 17. *ejus vis* 213 *ſtudium* 101. *ad eã via* 142. 237. *an unus ſcriptor ad eam comparandam ſufficere poſſit?* 74
Empirici taxantur 57. *ſeq.*
Epigrammatum laus 122
Epiſcopi & Presbyteri diſcrimen . *ſeqq.* 260
Epiſtolarum dictio 75
Eqvi Hermogeniani & palmati qvi fuere? 195 *ſeq.*
Eruditi pauci 116. *eorum contemptus* 226
Eruditiores humaniores 125
Eruditio vana & Chriſtiana 162. *ſq. ſine moribus parum prodeſt* 301. 303
Eutropius 237
Exemplorum vis 10, 11, 62, 225.
Exiliatus qvid? 257
Experientia magiſtra rerum 20.

F.

Fabiorum nomen unde? 251. *ſeq.*
Famam omnes affectant 113
Favor vocabulum novum 118
Februa 134
ex Filiis gaudium 150. *ſeq.*
Fœminæ laus 6
Fortunæ inconſtantia 188
Fratres roſeæ crucis 214
Henrici à Friſen ingenium ſummum 89. *obitus Patris* 98

Fungi Magdeburgenſes 214

G.

Galenus de nervis viſoriis 45

Gaudium ex filiis 150. *ſeq.*

Generoſi viri moræ impatientes ſunt 66

Genii 46. *ſeqq. primi omnium creati* 50. *variis figuris apparent ibid. eorum officium* 52. 55. 56

Genius familiaris 52. 53.

Germaniæ laus & vituperium 19. 155

Gevartius (*Joh. Caſpar*) 157

Grammatici olim magni habiti 149. *hodie contemnuntur* 149

de Grammatica Schmidii judicium 146

Gratianus Auſonii debitor 217

Gratiarum actio 39. 106. 108. 109.

Gratulatio de reditu & legat. munere 18. *ſqq. de ſponſa* 194. 206. *de nupta* 4. *de nuptiis*. 81. *de Votiſſ. nuptiis ſecundis*, 181. *de munere* 188

Groſius in Luſatiam abit 33

Gruteri laus 152. 154. 156. 158. *ſuſcipionum libri* 153. *Inſcriptiones* 124. 160

Gyraldi judicium de Poetis iniquum 144

H.

Hederæ ſapientiâ partæ 50

Heinſius Belgarum Apollo 43. 227. *de hymno ejus judicium* 161. *ejus exercitationes in N.T.* 28.

Hercules inter Deos refertur 39. *cur Muſagetes* 92 *Augiæ ſtabulum expurgat* 152

Hieronymus an Papæ faveat? 160. *ſeq.*

Hominum conditio 83

Hiſtoricorum lectio commendatur 102

Hiſto-

Hiſtoriæ dictio 75. *ſeqq. Encomium* 280
Honoris cura. 88, 91
Horatii Epiſt. 238
Humanitas ex literis. 115
Humaniorum literarum neceſſitas 115. *ſeq.* *contemtus* 115. *ſq.* 226. 116, *modus* 117

I.

Idiotiſmi ſunt cuique lingvæ peculiares 67. *ſq.*
Idolothyton unde 249
Imitatio bonorum auctorum 67. *ejus utilitas* 12
Imperatoris poteſtas 19
Indoloria 118
Ingeniorum diverſitas 74 *ſeq.*
Ingratitudo 113
Inigere 222
Initium ſplendidum 242
Inſtitutio puerorum multum in ſe habet 224
Interpres multum valet 36
Intempeſta nox 24
Invidia res optabilis 274
Iocus Veneris comes 183
In Italia diffidia 208
Iuno fœminarum curam habere credita 52. 53
Iupiter & mas & fœmina creditur 54
Iuſtitia Regis 39
Iuvenes mutantur in horas 310, 312
Iuventutis vitia 115

K.

Daniel Kellerthaler aurifaber 124
Κυλλῆ πήρα, *proverbium* 249

L.

Lamentatio Poëtica pulchra 6

Lamiæ turres 21
Lares 46
Laureolam ex muſtaceo petere 24
Latro (Portius) 79
Lectio auctorum qvomodo inſtituenda 67
Legati qvi mittendi 19. 21. *eorum officium atqve dignitas* 19. *ſeq.*
Liberorum cura 105
Lilius 73
Linguæ cuiqve ſunt peculiares idiotiſmi 67
Literæ lat. à qvibus inventæ 160
Livius qvomodo legendus 76
Locutiones antiqvæ 119
Logicæ uſus 236
Logodædali 116
Lucretius peſtem Crecop. deſcripſit 1
Luculli piſcina 221
Lumina geſtandi ritus in Feſto Purific. unde? 134
Luſtrationes animarum *ibid.*

M.

Manilius 157
Mancipera, proverbium 249
Martia laurus 90
Maſtigophori taxantur 137
Medicina impetrata ex ſomniis 57
Medioxumi Dii 46
Melæ (Pomponii) Geographia commendatur 237
Mendaciloqvides 146
Meſſis gracilis 59
Metius formoſus ſibi videtur 227
Fridericus à Metſch legatione fungitur ad Imperatorem 19. *decies Legatus mittitur* 22. *moritur* 83. *ſeq.*

Miner-

Minerva invita qvid? 56
Monachi indocti 241
Morum compoſitio ſtudioſis neceſſaria 290
Morbus chronicus 17
Mors uxoris 6. viri illuſtris 83. 93
Mulieroſitas 118
Muretus Ciceronem imitatur 68
Muſageta 92
Muſtaceum 24

N.

Naudaus editur 34. de eo judicium 108
Nepotari 170
Nepotis latinitas pura 69. 76
Nepotiani Presbyteri laus 284
Neſtor ſenex 23
Nobilitas vera 279
Non liqvet (ſolennis formula) 138
Notas veterum qvi excuſſerint 244
Noviſſimus vocabulum novum 118
Novitas afficit 7
Nox intempeſta 24
Nummulariorum ſævitia 189

O.

Occaſio arripienda eſt 212, 302
Oculiferia 242
Oenoforus 160
Olli 119
Ὄνειροι qvid? 49
Opitius amor Muſarum 112. Argenidem verſione Germanica donat 224

Ὀξύματα quid? 49
Orationum dictio 75
Oratoris officium 12
Orbiliorum ſeveritas deſcribitur 137
Ordo in ſtudiis obſervandus 67
Orthodoxus 243
Oſculum Catullianum. 194. 212
Otium ſapientum negotioſum 23
de Ovidio Victorii judicium 144

P.

Pacis bona 61. pro ea votum 325
Parentum amor erga liberos 105
Parei aſininitas 155. 157
Paſſeratii columba 142
Patria dulcis 2
Paupertas bonæ mentis ſoror 297. 302
Perſit dictio Satyrica 69
Pervigilium Medicum Rivini 62
Peſtis Wittenbergæ graſſatur 1. 135. apud Cecropes celebris 1
Petitor. lit. 8. ſeqq.
Phædri fab. 157
Philoſophiæ in Theologia uſus 296. ſeq.
Philoſophiſſimus 245
Philoſtratus Morellii 231
Phœnix ſenex 23
Pictorum exempla 284. ſeq.
Picturæ laus 283 ſeq. Valerii Maximi judicium iniquum ibid.
Pietas Regis 39
Piſonum nomen unde 251. ſeq.
Placere bonis gratiſſimum 31

Plagiarius 266
Platonis Philoſophia de Deo 48
Plautus ſalium magiſter 307. *Leporum pater* 247.
ejus dictio pura 69
Poëſeos laus 283. *ejus cum oratoria cognatio* 11
Poëtæ laureati ſæpius imperiti 219
de Poëtis Gyraldi judicium iniqvum 144
Pollam an Statius duxerit uxorem 174
Pomarius 72
Pomponius Mela 237
Popma (*Auſonius*) 119. *de eo judicium Barthii ibid.*
Portenſis ſchola ſitus amœniſſimus 136
Poteſtur 119
Præcedentiæ lis 88.91
Præcepta non abſolvunt artem ſed inchoant 12
Præceptor format pueritiam 224. *ejus virtutes* 82.
perverſitas 274
Praga 18. *ſeq.*
Praxis Theoriæ jungenda 296
Preces bonæ 81
Presbyterorum & diaconorum diſcrimen 260
Probitatis laus 63
Principum officium 39
Procari vetus verbum 13
Prodigia conſpiciuntur 103.109
Profeſſoribus de ſtipendiis proſpiciendum eſt 14
Wittebergæ de loco invicem diſceptant 78 *ſeq.*
Propago priori ſyllaba indifferens 3.186
Prothyrum quid ſit. 195
Prudentia ſenibus propria 22
Prudentius 191
Ptolomæo juvenis in ſomno apparet 50

Publii Syri Mimi 238
Pythagoras omnia elementa inhabitari ſtatuit 45
R
Raphelengii index 31
Ravius Profeſſ. *Geograph. Roſtochi* 32
Rectoris reqviſita 82
Repetitio commendatur 67
Rerum cognitio unde 115
Reſurrectio probatur 133. 135
Rhebyſchi liber inſcriptionum 124
de Rhetorica praceptis judicium Craſſi. 12
Ridere parentes 53. 54
Riſus 242. *cum movent errores hominum* 268
Romani imperii ſtatus 327
Ruſtica vita laus 167
Rutgerſius Janus 198
Rutilius 126
Ryphai montes 140
S.
Sacerdotum dignitas 105
Sacerdotia plurimi appetunt 16
Salmaſius de uſuris 25
Salvianus Epiſcoporum magiſter 268
Sapientia vera 95. ejus laus 63. 286
Saluſtius Philoſophus 31
Saxonia 19
Scaliger (Ioſephus) 117
Scharffius Profeſſ. Theolog. extraordinarius 29
Schneiderus obit 26
Scholaſtici officium 274
Scribendi libido 269
Scripta cenſura ſubjicienda 156
Sermonis elegantia Theologis non ſpectanda 268
Senectutis commoda 22

de Senecæ Troade Lipſii judicium 144
Sennertus Profeſſ. Ethices ambit 26. *Profeſſ. Ebreæ lingvæ declaratur* 31
Senum vitia 74
Servius Danielis 184
Seuſſii poëmata 147
Servitus homini liberali acerba 119
Simon unde dicatur 150
Simonis Simonidis poëmata egregia 143
Simonides à Geniis ſervatus 51
Simplex ſæpe pro compoſito ponitur 212
Sodales qvi ſectandi 62
Solatium ex ſociis 131
Solatia verbis fruſtra adhibentur 6
Solis pectines 211
Solæciſmi 246. *ſeqq.*
Somnio impelli qvid? 45. 50
Somniorum genera qvinqve 47. 49. *qvibus fides habenda* 164. *medicinam docent.* 57
Soteria 1
de Spigelio judicium 159
Sponſus 4
D. Strauchius obit 33
Studia ſua intervalla habent 76. *nihil commercii habent cum rebus domeſticis* 15. *radices amaræ* 63. *effectus ibid. ſeq. qvomodo tractari debeant* 235. *ſeqq.*
Studioſi reqviſita 290
Stultitiæ proprium 266
Stylus rebus coaptandus 11. *ejus diverſitas* 75. *affectatus* 69. *civilis* 78. *Theologicus* 269
Speci potiuntur Lipſiæ 104. *ſeq. Bregâ* 109

Super-

Superbiæ habitaculum 125
Superlativi peculiaris uſus 245. 247
Syncopen veteres adhibuere 119

T.

Taubmanni fatum 2
Tempe Theſſalica 138
Terentii ſtylus purus 69. 76
Teſtimonia Acad. 275. ſeqq.
Thaltybius 191
Thuanus commendatus 102. pingendi diligens 285
Tibullus cultiſſimus Poëtarum 3
ejus commentatores 185
Topper 118
Tranſilvaniæ deſpota 103
Trica quid 251
Tueor paſſive uſurpatur 246
Turres Lamiæ 211

U.

Valentinianorum error 55
Vallum noctu tranſilire capitale 171
Varronis commentatores 229
Velamen quid 195
Vellejus 237
Verba uſitata 117. obſoleta 118. cum judicio uſurpanda 121
Verecundia 215
Veſpaſiani generoſum effatum 23
Victor 238
Videri multis eſt ſatis 100
Virgilii eclog. IV. locus reſtitutus 53. de eo judicium Auguſtini 156. in eum commentati qui 184
Virtutis laus 63. contemtus 99

Vitia

Vitia virtutum nomina invadunt 99. reprehendenda 241
Vita vera qvænam 163, ruſtica beata 167. urbana tædio plena 167
Vitæ humanæ conditio 205. per gradus procedit 76
Vitæ æternæ gaudium 100
Vix pro non accipitur 196
Vocum antiqvarum uſus 121
Voſſii Rhetorica 101
Votorum ſolennis formula 81
Urbini dux infenſus Pontifici 208

W.

Waltherus (Michael) ſtatuarius 124
Wellerus Collegii PhiloſophiciDecanus 27, Brunſvicum vocatur Paſtor. 33
Wendlerus Profeſſ. Ethices ambit 29
Wittenberga munitur 223. Academiæ encomium 35. 39. ſeq. qvibus rebus conſervetur 36

Z.

de Zoilo judicium Hiſpani Poëtæ 240

D[illegible] Google

Google

[illegible] Google